PRUDENCE LIBER PERISTEPHANON (3762 vers)

HYMNUS IN HONOREM SANCTORUM MARTYRUM EMETERII ET CHELIDONII CALAGURRITANORUM

P1 v.1 Scripta sunt caelo duorum martyrum vocabula,
2 aureis quae Christus illic adnotavit litteris,
3 sanguinis notis eadem scripta terris tradidit.
4 Pollet hoc felix per orbem terra Hibera stemmate,
5 hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo,
6 qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
7 Hic calentes hausit undas caede tinctus duplici,
8 inlitas cruore sancto nunc harenas incolae
9 confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.
10 Exteri nec non et orbis huc colonus advenit,
11 fama nam terras in omnes percucurrit proditrix
12 hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.
13 Nemo puras hic rogando frustra congessit preces,
14 laetus hinc tersis revertit supplicator fletibus
15 omne, quod justum poposcit, inpetratum sentiens.
16 Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est,
17 non sinunt inane ut ullus voce murmur fuderit,
18 audiunt statimque aurora regis aeterni ferunt.
19 Inde larga fonte ab ipso dona tetris influunt,
20 supplicum causas petitis quae medelis inrigant ;
21 nil suis bonus negavit Christus umquam testibus,
22 testibus, quos nec catenae, dura nec mors terruit
23 unicum deum fateri sanguinis dispendio,
24 sanguinis, sed tale damnum lux rependit longior.
25 Hoc genus mortis decorum, hoc probis dignum viris :
26 membra morbis exedenda texta venis languidis
27 hostico donare ferro morte et hostem vincere.
28 Pulchra res ictum sub ense persecutoris pati,
29 nobilis per vulnus amplum porta justis panditur,
30 lota mens in fonte rubro sede cordis exilit.
31 Nec rudem crudi laboris ante vitam duxerant
32 milites, quos ad perenne cingulum Christus vocat,
33 sueta virtus bello et armis nunc fidei militat.
34 Caesaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis
35 proque ventosis draconum, quos gerebant, palliis
36 praeferunt insigne lignum, quod draconem subdidit.
37 Vile censent expeditis ferre dextris spicula,
38 machinis murum ferire, castra fossis cingere,
39 inpias manus cruentis inquinare stragibus.
40 Forte tunc atrox secundos Israelis posteros
41 ductor aulae mundialis ire ad aram jusserat,
42 idolis litare nigris, esse Christi defugas.
43 Liberam succincta ferro pestis urgebat fidem ;
44 illa virgas et secures et bisulcas ungulas
45 ultro fortis expetebat Christi amore interrita.
46 Carcer inligata duris colla bacis inpedit,

barbaras forum per omne tortor exercet manus,
veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur.
Tunc et ense caesa virtus triste percussit solum
et rogis ingesta maestis ore flammas sorbuit,
dulce tunc justis cremari, dulce ferrum perpeti.
Hic duorum cara fratrum concalescunt pectora,
fida quos per omne tempus junxerat sodalitas,
stant parati ferre, quidquid sors tulisset ultima,
seu foret praebenda cervix ad bipennem publicam
verberant post vim crepantum, post catastas igneas,
sive pardis offerendum pectus aut leonibus.
"Nosne Christo procreati mammonae dicabimur
et dei formam gerentes serviemus saeculo ?
Absit ut caelestis ignis se tenebris misceat.
Sit satis, quod capta primo vita sub chirographo
debitum persolvit omne functa rebus Caesaris,
tempus est deo rependi, quidquid est proprium dei.
Ite, signorum magistri, et vos, tribuni, absistite,
aureos auferte torques, sauciorum praemia !
Clara nos hinc angelorum jam vocant stipendia.
Christus illic candidatis praesidet cohortibus
et throno regnans ab alto damnat infames deos
vosque, qui ridenda vobis monstra divos fingitis."
Haec loquentes obruuntur mille poenis martyres ;
nexibus manus utrasque flexus involvit rigor
et chalybs adtrita colla gravibus ambit circulis.
O vetustatis silentis obsoleta oblivio !
Invidentur ista nobis fama et ipsa extinguitur,
chartulas blasfemus olim nam satelles abstulit,
ne tenacibus libellis erudita saecula
ordinem, tempus modumque passionis proditum
dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.
Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia,
jugibus longum catenis an capillum paverint,
quo viros dolore tortor quave pompa ornaverit.
Illa laus occulta non est nec senescit tempore,
missa quod sursum per auras evolarunt munera,
quae viam patere caeli praemicando ostenderent.
Illius fidem figurans nube fertur anulus,
hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium,
quae superno rapta flatu lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem fulgor auri absconditur
ac diu visum sequacem textilis candor fugit,
subvehuntur usque in astra nec videntur amplius.
Vidit hoc conventus adstans, ipse vidit carnifex
et manum repressit haerens ac stupore obpalluit ;
sed tamen peregit ictum, ne periret gloria.
Jamne credis, bruta quondam Vasconum gentilitas,
quam sacrum crudelis error immolarit sanguinem ?
Credis in deum relatos hostiarum spiritus ?
Cerne, quam palam feroces hic domentur daemones,
qui lupino capta ritu devorant praecordia,
strangulant mentes et ipsas seque miscent sensibus.
Tunc suo jam plenus hoste sistitur furens homo
spumeas efflans salivas, cruda torquens lumina,
expiandus quaestione non suorum criminum,
audias, nec tortor adstat, ejulatus flebiles ;
scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur,

105 crescit et suspensus ipse vinculis latentibus.
106 His modis spurcum latronem martyrum virtus quatit,
107 haec coercet, torquet, urit, haec catenas incutit ;
108 praedo vexatus relictis se medullis exuit.
109 Linquit inlaesam rapinam, faucibus siccis fugit,
110 ungue ab imo usque ad capillum salva reddit omnia
111 confitens ardere sese ; nam gehennae est incola.
112 Quid loquar purgata longis alba morbis corpora,
113 algidus cum decoloros horror artus concutit ?
114 Hic tumor vultum relinquit, hic color verus redit.
115 Hoc bonum salvator ipse, quo fruamur, praestitit,
116 martyrum cum membra nostro consecravit oppido,
117 sospitant quae nunc colonos, quos Hiberus alluit.
118 State nunc, hymnite, matres, pro receptis parvulis !
119 Conjugum salute laeta vox maritarum strepat !
120 Sit dies haec festa nobis, sit sacratum gaudium !

HYMNUS IN HONOREM PASSIONIS LAURENTII

P2 v.1 Antiqua fanorum parens,
2 jam Roma Christo dedita,
3 Laurentio victrix duce
4 ritum triumphas barbarum.
5 Reges superbos viceras
6 populosque frenis presseras ;
7 nunc monstruosis idolis
8 inponis imperii jugum.
9 Haec sola derat gloria
10 urbis togatae insignibus,
11 feritate capta gentium
12 domaret ut spurcum Jovem,
13 non turbulentis viribus
14 Cossi, Camilli aut Caesaris,
15 sed martyris Laurentii
16 non incruento proelio.
17 Armata pugnavit Fides
18 proprii cruoris prodiga ;
19 nam morte mortem diruit
20 ac semet inpendit sibi.
21 Fore hoc sacerdos dixerat
22 jam Xystus adfixus cruci
23 Laurentium flentem videns
24 crucis sub ipso stipite :
25 "Desiste discessu meo
26 fletum dolenter fundere !
27 Praecedo, frater ; tu quoque
28 post hoc sequeris triduum."
29 Extrema vox episcopi,
30 praenuntiatrix gloriae,
31 nihil fefellit ; nam dies
32 praedicta palmam praetulit.
33 Qua voce, quantis laudibus
34 celebrabo mortis ordinem,
35 quo passionem carmine
36 digne retexens concinam ?
37 Hic primus e septem viris,

qui stant ad aram proximi,
levita sublimis gradu
et ceteris praestantior,
claustris sacrorum praeerat
caelestis arcanum domus
fidis gubernans clavibus
votasque dispensans opes.
Versat famem pecuniae
praefectus urbi regiae,
minister insani ducis,
exactor auri et sanguinis,
qua vi latentes eruat
nummos operta existimans
talenta sub sacrariis
cumulosque congestos tegi.
Laurentium sisti jubet ;
exquirit arcam ditibus
massis refertam et fulgidae
montes monetae conditos.
"Soletis", inquit, "conqueri
saevire nos justo amplius,
cum christiana corpora
plus quam cruente scindimus.
Abest atrocioribus
censura fervens motibus ;
blande et quiete efflagito,
quod sponte obire debeas.
Hunc esse vestris orgiis
moremque et artem proditum est,
hanc disciplinam foederis,
libent ut auro antistites.
Argenteis scyfis ferunt
fumare sacrum sanguinem,
auroque nocturnis sacris
adstare fixos cereos.
Tum summa cura est fratribus,
ut sermo testatur loquax,
offerre fundis venditis
sestertiorum milia.
Addicta avorum praedia
foedis sub auctionibus
successor exheres gemit,
sanctis egens parentibus.
Haec occuluntur abditis
ecclesiarum in angulis,
et summa pietas creditur
nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
suadendo quos praestrigiis
exaggeratos obtines,
nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
hoc fiscus, hoc aerarium,
ut dedita stipendiis
ducem juvet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio :
"Suum quibusque reddito".
En, Caesar agnoscit suum

nomisma nummis inditum.
Quod Caesaris scis, Caesari
da, nempe justum postulo ;
ni fallor, haud ullam tuus
signat deus pecuniam,
nec, cum veniret aureos
secum Philippos detulit,
praecepta sed verbis dedit
inanis a marsuppio.
Inplete dictorum fidem,
qua vos per orbem venditis,
nummos libenter reddite,
estote verbis divites ! "
Nil asperum Laurentius
refert ad ista aut turbidum,
sed ut paratus obsequi
obtemperanter adnuit.
"Est dives", inquit, "non nego,
habetque nostra ecclesia
opumque et auri plurimum
nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
argenteorum enigmatum
Augustus arcem possidens,
cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
locupletis arcam numinis,
vulgabo cuncta et proferam,
pretiosa quae Christus tenet.
Unum sed orans flagito :
indutiarum paululum,
quo fungat efficacius
promissionis munere,
dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur ;
nam calculanda primitus,
tum subnotanda est summula".
Laetus tumescit gaudio
praefectus ac spem devorat,
aurum, velut jam conditum
domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui,
laudatus inde absolvitur
Laurentius, sponsor sui
et sponsor ingentis lucri.
Tribus per urbem cursitat
diebus infirma agmina
omnesque, qui poscunt stipem,
cogens in unum et congregans.
Illic utrisque obtutibus
orbes cavatos praeferens
baculo regebat praevio
errore nutantem gradum
et claudus infracto genu
vel crure trunco semipes
breviorve planta ex altera
gressum trahebat inparem.
Est, ulcerosis artubus

qui tabe corrupta fluat ;
est, cujus arens dextera
nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
exquirit, adsuetos ali
ecclesiae matris penu,
quos ipse promus noverat.
Recenset exim singulos
scribens viritim nomina,
longo et locatos ordine
adstare pro templo jubet.
Praescriptus et jam fluxerat
dies : furebat fervidus
judex avaro spiritu
promissa solvi efflagitans.
Tum martyr : "Adsistas velim
coramque dispositas opes
mirere, quas noster Deus
praedives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
fulgere vasis aureis
et per patentes porticus
structos talentis ordines."
It ille nec pudet sequi ;
Ventum ad sacratam januam,
stabant catervae pauperum,
inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur ;
praefectus horrescit stupens,
conversus in Laurentium
oculisque turbatis minax.
Contra ille : "Quid frendens", ait,
"minitaris aut quid displicet ?
Num sordida haec aut vilia,
num dispuenda existimas ?
Aurum, quod ardenter sitis,
effossa gignunt rudera
et de metallis squalidis
poenalis excudit labor,
torrens vel amnis turbidis
volvens harenis inplicat ;
quod terrulentum ac sordidum
flammis necesse est decoqui.
Pudor per aurum solvitur,
violatur auro integritas,
pax occidit, fides perit,
leges et ipsae intercidunt.
Quid tu venenum gloriae
extollis et magni putas ?
Si quaeris aurum verius,
lux est et humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
quos corpus artat debile,
ne per salutem viscerum
mens insolescat turgida.
Cum membra morbus dissicit,
animus viget robustior,
membris vicissim fortibus

vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
minus ministrat virium,
si fervor effetus malis
elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
malim dolore asperrimo
fragmenta membrorum pati
et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium
et confer alternas lues :
carnisne morbus foedior,
an mentis et morum ulcera ?
Nostri, per artus debiles,
intus decoris integri,
sensum venusti innoxium
laboris expertes gerunt ;
vestros valentes corpore
interna corrumpit lepra,
errorque mancum claudicat,
et caeca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum principum,
qui veste et ore praenitent,
magis probabo debilem,
quam quis meorum est pauperum.
Hunc, qui superbit serico,
quem currus inflatum vehit,
hydrops aquosus lucido
tendit veneno intrinsecus.
Ast hic avarus contrahit
manus recurvas et volam
plicans aduncis unguibus
laxare nervos non valet.
Istum libido faetida
per scorta tractum publica
luto et cloacis inquinat,
dum spurca mendicat stupra.
Quid ? Ille fervens ambitu
sitimque honoris aestuans
mersisne anhelat febribus
atque igne venarum furit ?
Quisquis tacendi intemperans
silenda prurit prodere,
vexatur et scalpit jecur
scabiemque cordis sustinet.
Quid invidorum pectorum
strumas retexam turgidas,
quid purulenta et livida
malignitatum vulnera ?
Tute ipse, qui Romam regis,
contemptor aeterni dei,
dum daemonum sordes colis,
morbo laboras regio.
Hi, quos superbus despicis,
quos execrandos judicas,
brevi ulcerosos exuent
artus et incolumes erunt,
cum, carne corruptissima

tandem soluti ac liberi,
pulcherrimo vitae statu
in arce lucebunt patris,
non sordidati aut debiles,
sicut videntur interim,
sed purpurantibus stolis
clari et coronis aureis.
Tunc, si facultas subpetat,
coram tuis obtutibus
istos potentes saeculi
velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos
et mucculentis naribus,
mentum salivis uvidum
lipposque palpebra putri.
Peccante nil est taetrius,
nil tam leprosum aut putidum,
cruda est cicatrix criminum
oletque ut antrum tartari.
Animabus inversa vice
corrupta forma infligitur,
quas pulcher aspectus prius
in corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
quos proxime spoponderam,
quos nec favillis obruat
ruina nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
ne pauperem Christum putes,
gemmas corusci luminis,
ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
miraris intactas anus
primique post damnum tori
ignis secundi nescias.
Hoc est monile ecclesiae,
his illa gemmis comitur,
dotata sic Christo placet,
sic ornat altum verticem.
Eccum talenta, suscipe,
ornabis urbem Romulam,
ditabis et rem principis,
fies et ipse ditior."
"Ridemur", exclamat furens
praefectus, "et miris modis
per tot figuras ludimur,
et vivit insanum caput !
Inpune tantas, furcifer,
strophas cavillo mimico
te nexuisse existimas,
dum scurra saltas fabulam ?
Concinna visa urbanitas
tractare nosmet ludicris ?
Egon cachinnis venditus
acroma festivum fui ?
Adeone nulla austeritas,
censura nulla est fascibus,
adeon securem publicam

mollis retundit lenitas ?
Dicis : "Libenter oppetam,
votiva mors est martyri" ;
est ista vobis, novimus,
persuasionis vanitas.
Sed non volenti inpertiam
praestetur ut mortis citae
conpendiosus exitus,
petite raptim non dabo.
Vitam tenebo et differam
poenis morarum jugibus,
et mors inextricabilis
longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
ne fervor ignitus nimis
os contumacis occupet
et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
qui fusus adflatu levi
tormenta sensim temperet
semustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
mysteriarches incidit,
hic solus exemplum dabit,
quid mox timere debeant.
Conscende constratum rogum,
decumbe digno lectulo,
tunc, si libebit, disputa
nil esse Vulcanum meum ! "
Haec fante praefecto truces
hinc inde tortores parant
nudare amictu martyrem,
vincire membra et tendere.
Illi os decore splenduit
fulgorque circumfusus est ;
talem revertens legifer
de monte vultum detulit,
Judaea quem plebs aureo
bove inquinata et decolor
expavit et faciem retro
detorsit inpatiens Dei.
Talemque et ille praetulit
oris corusci gloriam
Stephanus per imbrem saxeum
caelos apertos intuens.
Inluminatum hoc eminus
recens piatis fratribus,
baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat ;
ast inpiorum caecitas,
os oblitum noctis situ
nigrante sub velamine
obducta, clarum non videt ;
Aegyptiae plagae in modum,
quae, cum tenebris barbaros
damnaret, Hebraeis diem
sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,

adusta quam reddit cutis,
diversa utrosque permovet :
his nidor, illis nectar est.
Idemque sensus dispari
variatus aura aut adficit
horrore nares vindice
aut mulcet oblectamine.
Sic ignis aeternus deus,
(nam Christus ignis verus est) :
is ipse conplet lumine
justos et urit noxios.
Postquam vapor diutinus
decoxit exustum latus,
ultro e catasta judicem
conpellat adfatu brevi :
"Converte partem corporis
satis crematam jugiter
et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit."
Praefectus inverti jubet ;
tunc ille : "Coctum est, devora
et experimentum cape,
sit crudum an assum suavius ! "
Haec ludibundus dixerat ;
caelum deinde suspicit
et congemescens obsecrat
miseratus urbem Romulam :
"O Christe, nomen unicum,
o splendor, o virtus Patris,
o factor orbis et poli
atque auctor horum moenium,
qui sceptra Romae in vertice
rerum locasti, sanciens
mundum Quirinali togae
servire et armis cedere,
ut discrepantum gentium
mores et observantiam
linguasque et ingenia et sacra
unis domares legibus !
En omne sub regnum Remi
mortale concessit genus,
idem loquuntur dissoni
ritus, id ipsum sentiunt.
Hoc destinatum, quo magis
jus christiani nominis,
quodcumque terrarum jacet,
uno inligaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
sit christiana ut civitas,
per quam dedisti, ut ceteris
mens una sacrorum foret !
Confoederantur omnia
hinc inde membra in symbolum,
mansuescit orbis subditus,
mansuescat et summum caput !
Advertat abjunctas plagas
coire in unam gratiam,
fiat fidelis Romulus

et ipse jam credat Numa.
Confundit error Troicus
adhuc Catonum curiam
veneratus occultis focis
Phrygum penates exules.
Janum bifrontem et Sterculum
colit senatus, horreo
tot monstra patrum dicere
et festa Saturni senis.
Absterge, Christe, hoc dedecus,
Emitte Gabriel tuum,
agnoscat ut verum deum
errans Iuli caecitas !
Et jam tenemus obsides
fidissimos hujus spei,
hic nempe jam regnant duo
apostolorum principes ;
alter vocator gentium ;
alter cathedram possidens
primam recludit creditas
aeternitatis januas.
Discede, adulter Juppiter,
stupro sororis oblite,
relinque Romam liberam,
plebemque jam Christi fuge !
Te Paulus hinc exterminat,
te sanguis exturbat Petri,
tibi id, quod ipse armaveras,
factum Neronis, officit.
Video futurum principem
quandoque, qui servus dei
taetris sacrorum sordibus
servire Romam non sinat,
qui templa claudat vectibus,
valvas eburnas obstruat,
nefasta damnet limina
obdens aenos pessulos.
Tunc plura ab omni sanguine
tandem nitebunt marmora,
stabunt et aera innoxia,
quae nunc habentur idola."
Hic finis orandi fuit
et finis idem vinculi
carnalis : erupit volens
vocem secutus spiritus.
Vexere corpus subditis
cervicibus quidam partes,
quos mira libertas viri
ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles
adflarat et coegerat
amore sublimis Dei
odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
cultus deorum turpium :
plebs in sacellis rarior,
Christi ad tribunal curritur.
Sic dimicans Laurentius

non ense praecinxit latus,
hostile sed ferrum retro
torquens in auctorem tulit.
Dum daemon invictum Dei
testem lacessit proelio,
perfossus ipse concidit
et stratus aeternum jacet.
Mors illa sancti martyris
mors vera templorum fuit,
tunc Vesta Palladios lares
inpune sensit deseri.
Quidquid Quiritum sueverat
orare simpuvium Numae,
Christi frequentans atria
hymnis resultat martyrem.
Ipsa et senatus lumina,
quondam luperci aut flamines,
apostolorum et martyrum
exosculantur limina.
Videmus inlustres domos,
sexu ex utroque nobiles,
offerre votis pignera
clarissimorum liberum.
Vittatus olim pontifex
adscitur in signum crucis,
aedemque, Laurenti, tuam
Vestalis intrat Claudia.
O ter quaterque et septies
beatus urbis incola,
qui te ac tuorum comminus
sedem celebrat ossuum,
cui propter advolvi licet,
qui fletibus spargit locum,
qui pectus in terram premit,
qui vota fundit murmure !
Nos Vasco Hiberus dividit
binis remotos Alpibus
trans Cottianorum juga
trans et Pyrenas ninguidos.
Vix fama nota est, abditis
quam plena sanctis Roma sit,
quam dives urbanum solum
sacris sepulcris floreat.
Sed qui caremus his bonis
nec sanguinis vestigia
videre coram possumus,
caelum intuemur eminus.
Sic, sancte Laurenti, tuam
nos passionem quaerimus,
est aula nam duplex tibi,
hic corporis, mentis polo.
Illic inenarrabili
allectus urbi municeps
aeternae in arce curiae
gestas coronam civicam.
Videor videre inlustribus
gemmis coruscantem virum,
quem Roma caelestis sibi

560 legit perennem consulem.
561 Quae sit potestas credita
562 et muneris quantum datum,
563 probant Quiritum gaudia,
564 quibus rogatus adnuis.
565 Quod quisque supplex postulat,
566 fert inpetratum prospere ;
567 poscunt, rogant et vindicant,
568 et tristis haut ullus redit,
569 ceu praesto semper adsies
570 tuosque alumnos urbicos
571 lactante conplexus sinu
572 paterno amore nutrias.
573 Hos inter, o Christi decus,
574 audi poetam rusticum,
575 cordis fatentem crimina
576 et facta prodentem sua ;
577 indignus agnosco et scio,
578 quem Christus ipse exaudiat,
579 sed per patronos martyras
580 potest medelam consequi.
581 Audi benignus supplicem
582 Christi reum Prudentium,
583 et servientem corpori
584 absolve vinclis saeculi !

HYMNUS IN HONOREM PASSIONIS EULALIAE, BEATISSIMAE MARTYRIS

P3 v.1 Germine nobilis Eulalia
2 mortis et indole nobilior,
3 Emeritam sacra virgo suam,
4 cujus ab ubere progenita est,
5 ossibus ornat, amore colit.
6 Proximus occiduo locus est,
7 qui tulit hoc decus egregium,
8 urbe potens, populis locuples,
9 sed mage sanguine martyrii
10 virgineoque potens titulo.
11 Curriculis tribus atque novem
12 tris hiemes quater adtigerat,
13 cum crepitante pyra trepidos
14 terruit aspera carnifices
15 supplicium sibi dulce rata.
16 Jam dederat prius indicium,
17 tendere se patris ad solium
18 nec sua membra dicata toro :
19 ipsa crepundia reppulerat
20 ludere nescia pusiola ;
21 spernere sucina, flere rosas,
22 fulva monilia respuere,
23 ore severa, modesta gradu,
24 moribus et nimium teneris
25 canitiem meditata senum.
26 Ast ubi se furiata luis
27 excitat in famulos domini
28 christicolasque cruenta jubet

tura cremare, jecur pecudis
mortiferis adolere deis,
infremuit sacer Eulaliae
spiritus ingeniique ferox
turbida frangere bella parat
et rude pectus anhela Deo
femina provocat arma virum.
Sed pia cura parentis agit
virgo animosa domi ut lateat,
abdita rure et ab urbe procul,
ne fera sanguinis in pretium
mortis amore puella ruat.
Illa, perosa quietis opem
degeneri tolerare mora
nocte fores sine teste movet,
saeptaque claustra fugax aperit,
inde per invia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris
per loca senta situ et vepribus,
angelico comitata choro,
et, licet horrida nox sileat,
lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
turba columniferum radium,
scindere qui tenebrosa potens
nocte viam face perspicua
praestitit intereunte chao.
Non aliter pia virgo viam
nocte secuta diem meruit
nec tenebris adoperta fuit,
regna Canopica cum fugeret
et super astra pararet iter.
Illa, gradu cita, pervigili,
milia multa prius peragit
quam plaga pandat Eoa polum ;
mane superba tribunal adit,
fascibus adstat et in mediis,
vociferans : "Rogo, quis furor est
perdere praecipites animas
et male prodiga corda sui
sternere rasilibus scopulis
omnipatremque negare Deum ?
Quaeritis, o miseranda manus,
christicolum genus ? En ego sum
daemonicis inimica sacris,
idola protero sub pedibus,
pectore et ore deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus et ipse nihil,
illa nihil, quia facta manu,
hic, manuum quia facta colit ;
frivula utraque et utraque nihil.
Maximianus, opum dominus
et tamen ipse cliens lapidum,
prostituat voveatque suis
numinibus caput ipse suum ;
pectora cur generosa quatit ?
Dux bonus, arbiter egregius,

sanguine pascitur innocuo,
corporibusque piis inhians
viscera sobria dilacerat
gaudet et excruciare fidem.
Ergo age, tortor, adure, seca,
divide membra coacta luto !
Solvere rem fragilem facile est,
non penetrabitur interior
exagitante dolore animus."
Talibus excitus in furias
praetor ait : "Rape praecipitem,
lictor, et obrue suppliciis !
Sentiat esse deos patrios
nec leve principis imperium.
Quam cuperem tamen ante necem,
si potis est, revocare tuam,
torva puellula, nequitiam !
Respice, gaudia quanta metas,
quae tibi fert genialis honor !
Te lacrimis labefacta domus
prosequitur generisque tui
ingemit anxia nobilitas,
sole quod occidis in tenero
proxima dotibus et thalamis.
Non movet aurea pompa tori,
non pietas veneranda senum,
quos temeraria debilitas ?
Ecce parata ministeria
excruciabilis exitii :
aut gladio feriere caput,
aut laniabere membra feris,
aut, facibus data fumificis
flebiliterque ululanda tuis,
in cineres resoluta flues.
Haec, rogo, quis labor est fugere ?
Si modicum salis eminulis
turis et exiguum digitis
tangere, virgo, benigna velis,
poena gravis procul afuerit."
Martyr ad ista nihil, sed enim
infremit inque tyranni oculos
sputa jacit, simulacra dehinc
dissipat inpositamque molam
turibulis pede prosubigit.
Nec mora, carnifices gemini
junctaque pectora dilacerant,
et latus ungula virgineum
pulsat utrimque et ad ossa secat,
Eulalia numerante notas.
"Scriberis ecce mihi, Domine,
quam juvat hos apices legere,
qui tua, Christe, tropea notant !
Nomen et ipsa sacrum loquitur
purpura sanguinis eliciti."
Haec sine fletibus et gemitu
laeta canebat et intrepida ;
dirus abest dolor ex animo,
membraque picta cruore novo

fonte cutem recalente lavant.
Ultima carnificina dehinc :
non laceratio vulnifica
crate tenus nec arata cutis ;
flamma sed undique lampadibus
in latera stomachumque furit.
Crinis odorus ut in jugulos
fluxerat involitans umeris,
quo pudibunda pudicitia
virgineusque lateret honos
tegmine verticis opposito,
flamma crepans volat in faciem
perque comas vegetata caput
occupat exsuperatque apicem ;
virgo citum cupiens obitum
adpetit et bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens
martyris os nive candidior
visa relinquere et astra sequi ;
spiritus hic erat Eulaliae
lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt abeunte anima,
et rogus igneus emoritur ;
pax datur artubus exanimis ;
flatus in aethere plaudit ovans
templaque celsa petit volucer.
Vidit et ipse satelles avem
feminae ab ore meare palam,
obstupefactus et adtonitus
prosilit et sua gesta fugit,
lictor et ipse fugit pavidus.
Ecce nivem glacialis hiems
ingerit et tegit omne forum,
membra tegit simul Eulaliae
axe jacentia sub gelido
pallioli vice linteoli.
Cedar amor lacrimantum hominum,
qui celebrare suprema solent,
flebile cedat et officium :
ipsa elementa jubente Deo
exequias tibi, virgo, ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo,
clara colonia Vettoniae,
quam memorabilis amnis Ana
praeterit et viridante rapax
gurgite moenia pulchra lavit.
Hic, ubi marmore perspicuo
atria luminat alma nitor
et peregrinus et indigena,
relliquias cineresque sacros
servat humus veneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
de laquearibus aureolis,
saxaque caesa solum variant,
floribus ut rosulenta putes
prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas violas
sanguineosque crocos metite !

203 Non caret his genialis hiems,
204 laxat et arva tepens glacies,
205 floribus ut cumulet calathos.
206 Ista comantibus e foliis
207 munera, virgo puerque, date !
208 Ast ego serta choro in medio
209 texta feram pede dactylico,
210 vilia, marcida, festa tamen.
211 Sic venerarier ossa libet
212 ossibus altar et inpositum ;
213 illa Dei sita sub pedibus
214 prospicit haec populosque suos
215 carmine propitiata fovet.

HYMNUS IN HONOREM SANCTORUM DECEM ET OCTO MARTYRUM CAESARAUGUSTANORUM

P4 v.1 Bis novem noster populus sub uvo
2 martyrum servat cineres sepulcro,
3 Caesaraugustam vocitamus urbem,
4 res cui tanta est.
5 Plena magnorum domus angelorum
6 non timet mundi fragilis ruinam
7 tot sinu gestans simul offerenda
8 munera Christo.
9 Cum deus dextram quatiens coruscam
10 nube subnixus veniet rubente
11 gentibus justam positurus aequo
12 pondere libram,
13 orbe de magno caput excitata
14 obviam Christo properanter ibit
15 civitas quaeque pretiosa portans
16 dona canistris.
17 Afra Carthago tua promet ossa,
18 ore facundo Cypriane doctor,
19 Corduba Acisclum dabit et Zoellum
20 tresque coronas.
21 Tu tribus gemmis diadema pulchrum
22 offeres Christo, genetrix piorum
23 Tarraco, intexit cui Fructuosus
24 sutile vinclum.
25 Nomen hoc gemmae strofio inligatae est ;
26 emicant juxta lapides gemelli ;
27 ardet et splendor parilis duorum
28 igne corusco.
29 Parva Felicis decus exhibebit
30 artubus sanctis locuples Gerunda,
31 nostra gestabit Calagurris ambos,
32 quos veneramur.
33 Barchinon claro Cucufate freta
34 surget et Paulo speciosa Narbo,
35 teque, praepollens Arelas, habebit,
36 sancte Genesi.
37 Lusitanorum caput oppidorum
38 urbs adoratae cineres puellae
39 obviam Christo rapiens ad aram
40 porriget ipsam.

Sanguinem Justi, cui Pastor haeret,
ferculum duplex geminumque donum
ferre Conplutum gremio juvabit
membra duorum.
Ingeret Tingis sua Cassianum,
festa Massylum monumenta regum,
qui cinis gentes domitas coegit
ad juga Christi.
Singulis paucae, tribus aut duobus,
forsan et quinis aliquae placebunt
testibus Christi prius hostiarum
pignere functae.
Tu decem sanctos revehes et octo,
Caesaraugusta studiosa Christo,
verticem flavis oleis revincta,
pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
martyrum turbas domino parasti,
sola praedives pietate multa
luce frueris.
Vix parens orbis populosa Poeni,
ipsa vix Roma in solio locata
te, decus nostrum, superare in isto
munere digna est.
Omnibus portis sacer inmolatus
sanguis exclusit genus invidorum
daemonum et nigras pepulit tenebras
urbe piata.
Nullus umbrarum latet intus horror,
pulsa nam pestis populum refugit ;
Christus in totis habitat plateis,
Christus ubique est.
Martyrum credas patriam coronis
debitam sacris, chorus unde surgens
tendit in caelum niveus togatae
nobilitatis.
Inde, Vincenti, tua palma nata est,
clerus hic tantum peperit triumphum,
hic sacerdotum domus infulata
Valeriorum.
Saevus antiquis quotiens procellis
turbo vexatum tremefecit orbem,
tristior templum rabies in istud
intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrum
cessit aut clari vacuus cruoris ;
martyrum semper numerus sub omni
grandine crevit.
Nonne, Vincenti, peregri necandus
martyr his tetris tenui notasti
sanguinis rore speciem futuri
morte propinqua ?
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
caespes includat suus et paterno
servet amplectens tumulo beati
martyris ossa.
Noster est, quamvis procul hinc in urbe
passus ignota dederit sepulcri

gloriam victor prope litus altae
    forte Sagunti.
Noster et nostra puer in palaestra
arte virtutis fideique olivo
unctus horrendum didicit domare
    viribus hostem.
Noverat templo celebres in isto
octies partas deciesque palmas,
laureis doctus patriis eadem
    laude cucurrit.
Hic et, Encrati, recubant tuarum
ossa virtutum, quibus efferati
spiritum mundi, violenta virgo,
    dedecorasti.
Martyrum nulli remanente vita
contigit terris habitare nostris,
sola tu morti propriae superstes
    vivis in orbe.
Vivis ac poenae seriem retexis
carnis et caesae spolium retentans,
taetra quam sulcos habeant amaros
    vulnera, narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit ;
sanguis inpensus, lacerata membra ;
pectus abscisa patuit papilla
    corde sub ipso.
Jam minus mortis pretium peractae est,
quae venenatos abolens dolores
concitam membris tribuit quietem
    fine soporo.
Cruda te longum tenuit cicatrix
et diu venis dolor haesit ardens,
dum putrescentes tenuat medullas
    tabidus umor.
Invidus quamvis obitum supremum
persecutoris gladius negarit,
plena te, martyr, tamen ut peremptam
    poena coronat.
Vidimus partem jecoris revulsam
ungulis longe jacuisse pressis,
mors habet pallens aliquid tuorum
    te quoque viva.
Hunc novum nostrae titulum fruendum
Caesaraugustae dedit ipse Christus,
juge viventis domus ut dicata
    martyris esset.
Ergo ter senis sacra candidatis
dives Optato simul et Luperco
perge conscriptum tibimet senatum
    pangere psalmis !
Ede Successum, cane Martialem !
Mors et Urbani tibi concinatur,
Juliam cantus resonet simulque
    Quintilianum.
Publium pangat chorus et revolvat,
quale Frontonis fuerit tropaeum,
quid bonus Felix tulerit, quid acer
    Caecilianus ;

quantus, Evoti, tua bella sanguis
tinxerit, quantus tua, Primitive,
tum tuos vivax recolat triumphos
    laus, Apodemi.
Quattuor posthinc superest virorum
nomen extolli renuente metro,
quos Saturninos memorat vocalos
    prisca vetustas.
Carminis leges amor aureorum
nominum parvi facit et loquendi
cura de sanctis vitiosa non est
    nec rudis umquam.
Plenus est artis modus adnotatas
nominum formas recitare Christo,
quas tenet caeli liber explicandus
    tempore justo.
Octo tunc sanctos recolet decemque
angelus coram patre filioque
urbis unius regimen tenentes
    jure sepulcri.
Quin ad antiquum numerum trahetur
ulna post poenae specimen puella
morsque Vincenti, cui sanguis hinc est
    fons et honoris,
additis Gaio - nec enim silendi -
teque, Crementi, quibus incruentum
ferre provenit decus ex secundo
    laudis agone.
Ambo confessi Dominum steterunt
acriter contra fremitum latronum,
ambo gustarunt leviter saporem
    martyriorum.
Haec sub altari sita sempiterno
lapsibus nostris veniam precatur
turba, quam servat procerum creatrix
    purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
marmorum sulcos, quibus est operta
spes, ut absolvam retinaculorum
    vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
civitas mecum tumulis, deinde
mox resurgentes animas et artus
    tota sequeris.

PASSIO SANCTI VENCENTI MARTYRIS

P5 v.1 Beate martyr, prospera
diem triumphalem tuum,
quo sanguinis merces tibi
corona, Vincenti, datur !
Hic te ex tenebris saeculi
tortore victo et judice
evexit ad caelum dies
Christoque ovantem reddidit.
Nunc angelorum particeps

conlucis insigni stola,
quam testis indomabilis
rivis cruoris laveras,
cum te satelles idoli
praecinctus atris legibus
litare divis gentium
ferro et catenis cogeret.
Ac verba primum mollia
suadendo blande effuderat,
captator ut vitulum lupus
rapturus adludit prius.
"Rex", inquit, "orbis maximus,
qui sceptra gestat publica,
servire sanxit omnia
priscis deorum cultibus.
Vos, Nazareni, adsistite
rudemque ritum spernite !
Haec saxa, quae princeps colit,
placate fumo et victima ! "
Exclamat hic Vincentius,
levita de tribu sacra,
minister altaris Dei
septem ex columnis lacteis :
"Tibi ista praesint numina,
tu saxa, tu lignum colas,
tu mortuorum mortuus
fias deorum pontifex ;
nos lucis auctorem Patrem
ejusque Christum filium,
qui solus ac verus Deus,
Datiane, confitebimur."
Hic ille jam commotior :
"Audesne, non felix", ait,
"jus hoc deorum et principum
violare verbis asperis,
jus et sacratum et publicum,
cui cedit humanum genus,
nec te juventae fervidae
instans periclum permovet ?
Hoc namque decretum cape :
aut ara ture et caespite
precanda jam nunc est tibi
aut mors luenda est sanguine."
Respondit ille altrinsecus :
"Age ergo, quidquid virium,
quidquid potestatis tibi est,
palam reluctor, exere !
Vox nostra quae sit, accipe :
est Christus et Pater Deus,
servi hujus et testes sumus,
extorque, si potes, fidem !
Tormenta, carcer, ungulae
stridensque flammis lammina
atque ipsa poenarum ultima,
mors, christianis ludus est.
O vestra inanis vanitas
scitumque brutum Caesaris !
Condigna vestris sensibus

coli jubetis numina :
excisa fabrili manu
cavis recocta et follibus,
quae voce, quae gressu carent,
inmota, caeca, elinguia.
His sumptuosa splendido
delubra crescunt marmore,
his colla mugientium
percussa taurorum cadunt.
 - At sunt et illic spiritus."
 - " Sunt, sed magistri criminum,
vestrae et salutis aucipes,
vagi, inpotentes, sordidi,
qui vos latenter incitos
in omne conpellunt nefas :
vastare justos caedibus,
plebem piorum carpere.
Norunt et ipsi ac sentiunt
pollere Christum et vivere
ejusque jam jamque adfore
regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique
pulsi ex latebris viscerum
virtute Christi et nomine
divique et idem daemones."
His intonantem martyrem
judex profanus non tulit,
conclamat : "Os obtrudite,
ne plura jactet inprobus !
Vocem loquentis claudite
raptimque lictores date,
illos reorum Plutones
pastos resectis canibus !
Jam faxo jus praetorium
conviciator sentiat,
inpune ne nostris sibi
dis destruendis luserit.
Tibi ergo soli, contumax,
Tarpeia calcentur sacra,
tu porro solus obteras
Romam, senatum, Caesarem !
Vinctum retortis bracchiis
sursum ac deorsum extendite,
conpago donec ossuum
divulsa membratim crepet.
Posthinc hiulcis ictibus
nudate costarum abdita
ut per latebras vulnerum
jecur retectum palpitet."
Ridebat haec miles Dei
manus cruentas increpans
quod fixa non profundius
intraret artus ungula.
Ac jam omne robur fortium
eviscerando cesserat,
nisusque anhelus solverat
fessos lacertorum toros ;
ast ille tanto laetior

omni vacantem nubilo
frontem serenam luminat
te, Christe, praesentem videns.
 - "Quis vultus iste, pro pudor ! "
Datianus aiebat furens.
"Gaudet, renidet, provocat
tortore tortus acrior !
Nil illa vis exercita
tot noxiorum mortibus
agone in isto proficit,
ars et dolorum vincitur.
Sed vos, alumni carceris,
par semper invictum mihi,
cohibete paulum dexteras,
respiret ut lassus vigor.
Praesicca rursus ulcera,
dum se cicatrix colligit
refrigerati sanguinis,
manus resulcans diruet."
His contra levites refert :
"Si jam tuorum perspicis
languere virtutem canum,
age, ipse major carnifex,
ostende, quo pacto queant
imos recessus scindere,
manus et ipse intersere
rivosque ferventes bibe !
Erras, cruente, si meam
te rere poenam sumere,
cum membra morti obnoxia
dilancinata interficis.
Est alter, est intrinsecus,
violare quem nullus potest,
liber, quietus, integer,
exsors dolorum tristium.
Hoc, quod laboras perdere
tantis furoris viribus,
vas est solutum ac fictile,
quocumque frangendum modo.
Quin immo nunc enitere
illum secare ac plectere,
qui perstat intus, qui tuam
calcat, tyranne, insaniam !
Hunc, hunc lacesse, hunc discute,
invictum, inexsuperabilem,
nullis procellis subditum
solique subjectum Deo ! "
Haec fatur et stridentibus
laniatur uncis denuo ;
cui praetor ore subdolo
anguina verba exsibilat :
"Si tanta callum pectoris
praedurat obstinatio,
pulvinar ut nostrum manu
abomineris tangere,
saltim latentes paginas
librosque opertos detege,
quo secta pravum seminans

justis cremetur ignibus."
His martyr auditis ait :
"Quem tu, maligne, mysticis
minitaris ignem litteris,
flagrabis ipse hoc justius.
Romphea nam caelestium
vindex erit voluminum
tanti veneni interpretem
linguam perurens fulmine.
Vides favillas indices
Gomorreorum criminum,
Sodomita nec latet cinis
testis perennis funeris.
Exemplar hoc, serpens, tuum est.
Fuligo quem mox sulphuris,
bitumen et mixtum pice
imo inplicabunt tartaro."
His persecutor saucius
pallet, rubescit, aestuat
insana torquens lumina
spumasque frendens egerit.
Tum deinde cunctatus diu
decernit : "Extrema omnium
igni, grabato et lamminis
exerceatur quaestio."
Haec ille sese ad munera
gradu citato proripit
ipsosque pernix gaudio
poenae ministros praevenit.
Ventum ad palestram gloriae,
spes certat et crudelitas,
luctamen anceps conserunt
hinc martyr, illinc carnifex.
Serrata lectum regula
dente infrequenti exasperat,
cui multa carbonum strues
vivum vaporat halitum.
Hunc sponte conscendit rogum
vir sanctus ore interrito,
ceu jam coronae conscius
celsum tribunal scanderet.
Subter crepante aspergine
scintillat excussus salis
punctisque fervens stridulis
sparsim per artus figitur.
Arvina posthinc igneum
inpressa cauterem lavit,
vis unde roris fumidi
in membra sensim liquitur.
Haec inter inmotus manet,
tamquam dolorum nescius,
tenditque in altum lumina,
nam vincla palmas presserant.
Sublatus inde fortior
lugubre in antrum truditur,
ne liber usus luminis
animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo

locus tenebris nigrior,
quem saxa mersi fornicis
angusta clausum strangulant.
Aeterna nox illic latet
expers diurni sideris,
hic carcer horrendus suos
habere fertur inferos.
In hoc barathrum conicit
truculentus hostis martyrem,
lignoque plantas inserit
divaricatis cruribus.
Quin addit et poenam novam
crucis peritus artifex,
nulli tyranno cognitam
nec fando conpertam retro.
Fragmenta testarum jubet
hyrta inpolitis angulis,
acuminata, informia,
tergo jacentis sternerent.
Totum cubile spiculis
armant dolores anxii,
insomne qui subter latus
mucrone pulsent obvio.
Haec ille versutus vafra
meditatus arte struxerat ;
sed Belzebulis callida
commenta Christus destruit.
Nam carceralis caecitas
splendore lucis fulgurat
duplexque morsus stipitis
ruptis cavernis dissilit.
Agnoscit hic Vincentius
adesse quod speraverat,
tanti laboris praemium :
Christum, datorem luminis.
Cernit deinde fragmina
jam testularum mollibus
vestire semet floribus
redolente nectar carcere.
Quin et frequentes angeli
stant ac loquuntur comminus,
quorum unus ore augustior
conpellat his dictis virum :
"Exsurge, martyr inclyte,
exsurge securus tui,
exsurge et almis coetibus
noster sodalis addere !
Decursa jam satis tibi
poenae minacis munia
pulchroque mortis exitu
omnis peracta est passio.
O miles invictissime,
fortissimorum fortior,
jam te ipsa saeva et aspera
tormenta victorem tremunt.
Spectator haec Christus deus
conpensat aevo intermino,
propriaeque collegam crucis

larga coronat dextera
Pone hoc caducum vasculum,
compage textum terrea,
quod dissipatum solvitur,
et liber in caelum veni ! "
Haec ille ; sed clausas fores
interna rumpunt lumina
tenuisque per rimas nitor
lucis latentis proditur.
Hoc cum stuperet territus
obsessor atri liminis,
quem cura pernox manserat
servare feralem domum,
psallentis audit insuper
praedulce carmen martyris,
cui vocis instar aemulae
conclave reddit concavum.
Pavens deinde introspicit,
admota quantum postibus
acies per artas cardinum
intrare juncturas potest :
vernare multis floribus
stramenta testarum videt
ipsumque vulsis nexibus
obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
praetoris hoc miraculo,
flet victus et volvit gemens
iram, dolorem, dedecus.
"Exemptus", inquit, "carceri
paulum benignis fotibus
recreetur, ut pastum novum
poenis refectus praebeat."
Coire toto ex oppido
turbam fidelem cerneres,
mollire praefultum torum,
siccare cruda vulnera.
Ille ungularum duplices
sulcos pererrat osculis,
hic purpurantem corporis
gaudet cruorem lambere.
Plerique vestem linteam
stillante tingunt sanguine,
tutamen ut sacrum suis
domi reservent posteris.
Tunc ipse manceps carceris
et vinculorum janitor,
ut fert vetustas conscia,
repente Christum credidit.
Hic obseratis vectibus
densae specum caliginis
splendore lucis advenae
micuisse clausum viderat.
At vero postquam lectuli
martyr quietem contigit,
aeger morarum taedio
et mortis incensus siti,
- si mors habenda ejusmodi est,

quae corporali ergastulo
mentem resolvit liberam
et reddit auctori Deo,
mentem piatam sanguine,
mortis lavacris elutam,
quae semet ac vitam suam
Christo inmolandam praebuit, -
ergo ut recline mollibus
rejecit aulaeis caput,
victor relictis artubus
caelum capessit spiritus.
Cui recta celso tramite
reseratur ad patrem via,
quam fratre caesus inpio
Abel beatus scanderat.
Stipant euntem candidi
hinc inde sanctorum chori,
parique missum carcere
Baptista Johannes vocat.
At christiani nominis
hostem coquebant inrita
fellis venena et lividum
cor efferata exusserant.
Saevire inermem crederes
fractis draconem dentibus :
"Evasit exultans", ait,
"rebellis et palmam tulit.
Sed restat illud ultimum :
inferre poenam mortuo,
feris cadaver tradere
canibusve carpendum dare.
Jam nunc et ossa extinxero,
ne sit sepulcrum funeris,
quod plebs gregalis excolat
titulumque figat martyris."
Sic frendit et corpus sacrum
profanus (a dirum nefas !)
nudum negato tegmine
exponit inter carices.
Sed nulla dirarum famis
aut bestiarum aut alitum
audet tropeum gloriae
foedare tactu squalido.
Quin, si qua clangens inprobe
circumvolarat eminus,
trucis volucris impetu
depulsa vertebat fugam.
Nam corvus, Heliae datus
olim ciborum portitor,
hoc munus inplet sedule
et inremotus excubat.
Hic ex frutectis proximis
infestus alarum sono
oculosque pinnis verberans
exegit inmanem lupum.
Quis perfidorum credere
ausit rapacem beluam,
tauris paratam congredi,

cessisse plumis mollibus ?
Ibat malignum murmurans,
levi volatu exterritus,
praedamque visam fugerat
custodis inbellis minis.
Quis audienti talia,
Datiane, tunc sensus tibi,
quantis gementem spiculis
figebat occultus dolor,
cum te perempti corporis
virtute victum cerneres,
ipsis et inpar ossibus,
vacuisque jam membris minor ?
Sed quis, tyranne pertinax,
hunc inpotentem spiritum
determinabit exitus ?
Nullusne te franget modus ?
"Nullus, nec umquam desinam ;
nam si ferina immanitas
mansuescit, et clementia
corvos voraces mitigat,
mergam cadaver fluctibus :
insana numquam naufragis
ignoscit unda et spumeum
nescit profundum parcere.
Aut semper illic mobilis
incerta per ludibria
vagis feretur flatibus,
squamosa pascens agmina,
aut sub fragosis rupibus
scabri petrarum murices
inter recessus scrupeos
discissa rumpent viscera.
Ecquis virorum strenue
cumbam peritus pellere
remo, rudente et carbaso,
secare qui pontum queas,
rapias palustri e caespite
corpus, quod intactum jacet,
levique vectum lembulo
amplum per aequor auferas ?
Sed conplicatum sparteus
claudat cadaver culleus,
quem fune conexus lapis
praeceps in altum deprimat.
At tu per undas emices
rorante praepes palmula,
donec relictum longior
abscondat aspectus solum."
Haec jussa quidam militum
(Eumorfio nomen fuit)
violentus, audax, barbarus,
furore fervens adripit.
Funale textum conserit,
suto quod inplet corpore,
emensus et multum freti
inter procellas excutit.
O praepotens virtus Dei,

virtus creatrix omnium,
quae turgidum quondam mare
gradiente Christo straverat,
ut terga calcans aequoris
siccis mearet passibus,
plantas nec undis tingueret
vasti viator gurgitis !
Haec ipsa virtus jusserat
rubrum salum dehiscere,
patente dum fundo aridum
secura plebs iter terit.
Nec non et ipsa nunc jubet
servire sancto corpori
pontum quietis lapsibus
ad curva pronum litora.
Saxum molaris ponderis
ut spuma candens innatat,
tantique custos pigneris
fiscella fertur fluctibus.
Cernunt stupentes navitae
vectam remenso marmore
labi retrorsum leniter
aestu secundo et flamine.
Certant et ipsi concito
pontum faselo scindere,
longe sed artus praevolant
telluris ad mollem sinum.
Prius relatos denique
humus quieta suscipit,
quam pulsa summis nisibus
carina portum tangeret.
Felix amoeni litotis
secessus ille, qui sacra
fovens harenis viscera
vicem sepulcri praebuit,
dum cura sanctorum pia
deflens adornat aggerem
tumuloque corpus creditum
vitae reservat posterae !
Sed mox subactis hostibus
jam pace justis reddita,
altar quietem debitam
praestat beatis ossibus ;
subjecta nam sacrario
imamque ad aram condita
caelestis auram muneris
perfusa subter hauriunt.
Sic corpus, ast ipsum dei
sedes receptum continet
cum Maccabeis fratribus
sectoque Eseiae proximum.
Simplex sed illis contigit
corona poenarum, quibus
finem malorum praestitit
mortis supremus exitus.
Quid tale sector ausus est ?
Truncata numquid corporis
segmenta post serram feris

532 objecit aut undis dedit ?
533 Num Maccabei martyris
534 linguam tyrannus erutam
535 raptamve pellem verticis
536 avibus cruentis obtulit ?
537 Tu solus, o bis inclyte,
538 solus bravii duplicis
539 palmam tulisti, tu duas
540 simul parasti laureas.
541 In morte victor aspera,
542 tum deinde post mortem pari
543 victor triumpho proteris
544 solo latronem corpore.
545 Adesto nunc et percipe
546 voces precantum supplices,
547 nostri reatus efficax
548 orator ad thronum patris !
549 Per te, per illum carcerem,
550 honoris augmentum tui,
551 per vincla, flammas, ungulas,
552 per carceralem stipitem,
553 per fragmen illud testeum,
554 quo parta crevit gloria,
555 et quem trementes posteri
556 exosculamur lectulum,
557 miserere nostrarum precum,
558 placatus ut Christus suis
559 inclinet aurem prosperam
560 noxas nec omnes inputet !
561 Si rite sollemnem diem
562 veneramur ore et pectore,
563 si sub tuorum gaudio
564 vestigiorum sternimur,
565 paulisper huc inlabere,
566 Christi favorem deferens,
567 sensus gravati ut sentiant
568 levamen indulgentiae.
569 Sic nulla jam restet mora,
570 quin excitatam nobilis
571 carnem resumat spiritus
572 virtute perfunctam pari,
573 ut, quae laborum particeps
574 commune discrimen tulit,
575 sit et coheres gloriae
576 cunctis in aevum saeculis.

HYMNUS IN HONOREM BEATISSIMORUM MARTYRUM FRUCTUOSI EPISCOPI ECCLESIAE TARRACONENSIS...

P6 v.1 Felix Tarraco, Fructuose, vestris
2 attollit caput ignibus coruscum
3 levitis geminis procul relucens.
4 Hispanos deus aspicit benignus,
5 arcem quandoquidem potens Hiberam
6 trino martyre trinitas coronat.
7 Ardens Augurius capessit aethram,
8 nec non Eulogius simul supernum

Christi lucidus ad sedile tendit.
Dux et praevius et magister illis
ad tantum decus ex episcopali
clarus nomine Fructuosus ibat,
accitus quia praesidis repente
jussu venerat ad forum sacerdos,
levitis comitantibus duobus.
Inde ad carceream viros catenam
pastus sanguine carnifex trahebat ;
gaudet currere Fructuosus ultro.
Ac, ne quis socios timor feriret,
praeceptor vehemens eundo firmat
incenditque fidem calore Christi :
"Mecum state, viri ; vocat cruentus
ad poenam coluber Dei ministros ;
ne mors terreat ! Est parata palma.
Carcer christicolis gradus coronae est,
carcer provehit ad superna caeli,
carcer conciliat Deum beatis."
His dictis adeunt specum reorum ;
exercent ibi mysticum lavacrum
et purgamen aquae stupent tenebrae.
Sex hic continuis latent diebus ;
tandem stant trucis ad tribunal hostis ;
fratres tergeminos tremunt catastae.
Judex Aemilianus inminebat,
atrox, turbidus, insolens, profanus,
aras daemonicas coli jubebat.
"Tu, qui doctor", ait, "seris novellum
commenti genus, ut leves puellae
lucos destituant, Jovem relinquant,
damnes, si sapias, anile dogma ;
jussum est Caesaris ore Gallieni,
quod princeps colit, ut colamus omnes."
Haec fanti placidus refert sacerdos :
"Aeternum colo principem, dierum
factorem, dominumque Gallieni,
et Christum Patre prosatum perenni,
cujus sum famulus gregisque pastor."
Subridens ait ille : "Jam fuisti."
Nec differt furor aut refrenat iram ;
saevis destinat ignibus cremandos ;
exultant prohibentque flere vulgum.
Quosdam de populo videt sacerdos
libandum sibi poculum offerentes.
"Jejunamus", ait, "recuso potum :
nondum nona diem resignat hora ;
numquam conviolabo jus dicatum,
nec mors ipsa meum sacrum resolvet.
Sic Christus sitiens crucis sub hora
oblatum sibi poculum recusans
nec libare volens sitim peregit."
Intrant interea locum rutunda
conclusum cavea, madens ferarum
multo sanguine quem furor frequentat,
cum spectacula perstrepunt cruenta,
ac vilis gladiator ense duro
percussus, cadit, et fremit voluptas.

Hic flammante pyra niger minister
ardens supplicium parare jussus
construxit facibus rogum supremis,
qui, dum corpora concremanda solvit,
ferventes animas amore lucis
fracto carceris expediret antro.
Certant officiis pii sodales :
plantis calciamenta dissolutis
pronus detrahere studebat unus,
sed sanctus vetat ora Fructuosus
inclinata premi : "Facessite", inquit,
"nec nostram gravet obsequella mortem ;
atquin ipse meos pedes resolvam,
ne vestigia praepedita vinclis
tardis gressibus inruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes,
cur vestri memor ut fiam rogatis ?
Cunctis pro populis rogabo Christum."
Vix haec ediderat, relaxat ipse
indumenta pedum, velut Moyses
quondam fecerat ad rubum propinquans.
Non calcare sacram cremationem
aut adstare deo prius licebat,
quam vestigia pura figerentur.
Stabat calce mera ; resultat ecce
caelo spiritus et serit loquellam,
quae cunctos tremefecit audientes :
"Non est, credite, poena, quam videtis,
quae puncto tenui citata transit ;
nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animae, quibus per ignem
celsa scandere contigit Tonantis,
quas olim fugiet perennis ignis ! "
Haec inter rapidis focos crepantes
intrant passibus et minantur ipsis
flammarum trepidantibus caminis.
Nexus denique, qui manus retrorsus
in tergum revocaverant revinctas,
intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est cohibere poena palmas
in morem crucis ad patrem levandas ;
solvit bracchia, quae deum precentur.
Priscorum specimen trium putares,
quos olim Babylonicum per ignem
cantantes stupuit tremens tyrannus.
Illis sed pia flamma tunc pepercit,
nondum tempore passionis apto,
nec mortis decus inchoante Christo.
Hos cum defugeret vaporus ardor,
orant ut celer ignis advolaret
et finem daret anxiis periclis.
Exorata suos obire tandem
Majestas famulos jubet caducis
missos corporibus sibique reddi.
Vidit praesidis ex domo satelles
caelum martyribus patere apertum
insignesque viros per astra ferri.
Quin et filiolae monens erili

125 ostendit sceleris notam paterni,
126 caelo vivere quos forum peremit.
127 Haec tum virginitas palam videre
128 per sudum meruit parente caeco,
129 ut crimen domini domus timeret.
130 Tum de corporibus sacris favillae
131 et perfusa mero leguntur ossa,
132 quae raptim sibi quisque vindicabat.
133 Fratrum tantus amor domum referre
134 sanctorum cinerum dicata dona,
135 aut gestare sinu fidele pignus.
136 Sed ne reliquias resuscitandas
137 et mox cum domino simul futuras
138 discretis loca dividant sepulcris,
139 cernuntur niveis stolis amicti :
140 mandant restitui cavoque claudi
141 mixtim marmore pulverem sacrandum.
142 O triplex honor, o triforme culmen,
143 quo nostrae caput excitatur urbis,
144 cunctis urbibus eminens Hiberis !
145 Exultare tribus libet patronis,
146 quorum praesidio fovemur omnes
147 terrarum populi Pyrenearum.
148 Circumstet chorus ex utroque sexu :
149 heros, virgo, puer, senex, anulla,
150 vestrum psallite rite Fructuosum !
151 Laudans Augurium resultet hymnus,
152 mixtis Eulogium modis coaequans :
153 reddamus paribus pares camenas.
154 Hinc aurata sonent in arce tecta ;
155 blandum litoris extet inde murmur,
156 et carmen freta feriata pangant.
157 Olim tempus erit ruente mundo,
158 cum te, Tarraco, Fructuosus acri
159 solvet supplicio tegens ab igni.
160 Fors dignabitur et meis medellam
161 tormentis dare prosperante Christo,
162 dulces hendecasyllabos revolvens.

HYMNUS IN HONOREM QUIRINI MARTYRIS, EPISCOPI ECCLESIAE SISCIANAE

P7 v.1 Insignem meriti virum,
2 Quirinum placitum Deo,
3 urbis moenia Sisciae
4 concessum sibi martyrem
5 conplexu patrio fovent.
6 Hic sub Galerio duce,
7 qui tunc Illyricos sinus
8 urgebat dicionibus,
9 fertur catholicam fidem
10 inlustrasse per exitum.
11 Non illum gladii rigor,
12 non incendia, non ferae
13 crudeli interitu necant ;
14 sed lymphis fluvialibus
15 gurges, dum rapit, abluit.

Nil refert, vitreo aequore
an de flumine sanguinis
tinguat passio martyrem ;
aeque gloria provenit
fluctu quolibet uvida.
Summo pontis ab ardui
sanctae plebis episcopus
in praeceps fluvio datur,
suspensum laqueo gerens
ingentis lapidem molae.
Dejectum placidissimo
amnis vertice suscipit,
nec mergi patitur sibi,
miris vasta natatibus
saxi pondera sustinens.
Spectant eminus e solo
doctorem pavidi greges ;
nam Christi populus frequens
riparum sinuamina
stipato agmine saepserat.
Sed Quirinus, ut eminens
os circumtulit, heu ! suos
exemplo trepidos videt ;
nil ipse proprii memor
inter stagna periculi
confirmat pia pectora,
verbis mitificis rogans
ne quem talia terreant
neu constans titubet fides
aut poenam putet emori.
Dicentem fluitantibus
amnis terga vehunt vadis,
nec substrata profunditas
saxoque et laqueo et viro
audet sponte dehiscere.
Sensit martyr episcopus
jam partam sibi praeripi
palmam mortis et exitus
ascensumque negarier
aeterni ad solium patris :
"Jesu cunctipotens", ait,
"haudquaquam tibi gloria
haec est insolita aut nova
calcare fremitum maris
prona et flumina sistere.
Scimus discipulum Petrum,
cum vestigia tingueret
mortali trepidus pede,
dextrae subsidio tuae
subjecisse salum solo ;
Jordanem quoque novimus
tortis verticibus vagum,
dum fertur rapido impetu,
ad fontem refluis retro
confugisse meatibus.
Haec miracula sunt tuae
virtutis, Domine, ut modo
suspendar leve praenatans

74 summo gurgite fluminis,
75 cum collo scopulum traham.
76 Jam plenus titulus tui est
77 et vis prodita nominis,
78 quam gentilis hebet stupor ;
79 absolvas, precor, optime,
80 hujus nunc animae moras.
81 Quid possis, probat amnicus,
82 qui vectat silicem, liquor.
83 Hoc jam, quod superest, cedo,
84 quo nil est pretiosius,
85 pro re, Christe Deus, mori ! "
86 Orantem simul halitus
87 et vox deserit et calor ;
88 scandit spiritus ardua ;
89 fit pondus grave saxeum,
90 corpus suscipiunt aquae.

DE LOCO, IN QUO MARTYRES PASSI SUNT, NUNC BAPTISTERIUM EST CALAGURRI

P8 v.1 Electus Christo locus est, ubi corda probata
2 provehat ad caelum sanguine, purget aqua.
3 Hic duo purpureum Domini pro nomine caesi
4 martyrium pulchra morte tulere viri.
5 Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte
6 ac veteres maculas diluit amne novo.
7 Qui cupit aeternum caeli conscendere regnum,
8 huc veniat sitiens, ecce parata via est.
9 Ante coronati scandebant ardua testes
10 atria, nunc lotae celsa petunt animae.
11 Spiritus aeterno solitus descendere lapsu,
12 ut dederat palmam, sic tribuit veniam.
13 Haurit terra sacros aut fonte aut sanguine rores
14 exundatque suo jugiter uda deo.
15 Ipse loci est dominus, laterum cui vulnere utroque
16 hinc cruor effusus fluxit et inde latex.
17 Ibitis hinc, ut quisque potest, per vulnera Christi
18 evectus gladiis alter et alter aquis.

PASSIO SANCTI CASSIANI FOROCORNELIENSISI

P9 v.1 Sylla Forum statuit Cornelius ; hoc Itali urbem
2 vocant ab ipso conditoris nomine.
3 Hic mihi, cum peterem te, rerum maxima Roma,
4 spes est oborta prosperum Christum fore.
5 Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat
6 martyr dicato Cassianus corpore.
7 Dum lacrimans mecum reputo mea vulnera et omnes
8 vitae labores ac dolorum acumina,
9 erexi ad caelum faciem, stetit obvia contra
10 fucis colorum picta imago martyris
11 plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
12 ruptam minutis praeferens punctis cutem.
13 Innumeri circum pueri (miserabile visu)

14 confossa parvis membra figebant stilis,
15 unde pugillares soliti percurrere ceras
16 scholare murmur adnotantes scripserant.
17 Aedituus consultus ait : "Quod prospicis, hospes,
18 non est inanis aut anilis fabula ;
19 historiam pictura refert, quae tradita libris
20 veram vetusti temporis monstrat fidem.
21 Praefuerat studiis puerilibus et grege multo
22 saeptus magister litterarum sederat,
23 verba notis brevibus conprendere cuncta peritus
24 raptimque punctis dicta praepetibus sequi.
25 Aspera nonnumquam praecepta et tristia visa
26 inpube vulgus moverant ira et metu ;
27 doctor amarus enim discenti semper ephebo,
28 nec dulcis ulli disciplina infantiae est.
29 Ecce fidem quatiens tempestas saeva premebat
30 plebem dicatam christianae gloriae.
31 Extrahitur coetu e medio moderator alumni
32 gregis, quod aris supplicare spreverat.
33 Poenarum artifici quaerenti, quod genus artis
34 vir nosset alto tam rebellis spiritu,
35 respondent : "Agmen tenerum ac puerile gubernat
36 fictis notare verba signis inbuens."
37 "Ducite", conclamat, "captivum ducite, et ultro
38 donetur ipsis verberator parvulis.
39 Ut libet, inludant ; lacerent inpune manusque
40 tinguant magistri feriatas sanguine ;
41 ludum discipulis volupe est ut praebeat ipse
42 doctor severus, quos nimis coercuit."
43 Vincitur post terga manus spoliatus amictu ;
44 adest acutis agmen armatum stilis.
45 Quantum quisque odii tacita conceperat ira,
46 effundit ardens felle tandem libero.
47 Coniciunt alii fragiles inque ora tabellas
48 frangunt, relisa fronte lignum dissilit ;
49 buxa crepant cerata genis inpacta cruentis
50 rubetque ab ictu curta et umens pagina.
51 Inde alii stimulos et acumina ferrea vibrant,
52 qua parte aratis cera sulcis scribitur,
53 et qua secti apices abolentur et aequoris hyrti
54 rursus nitescens innovatur area.
55 Hinc foditur Christi confessor et inde secatur,
56 pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.
57 Omnia membra manus pariter fixere ducentae
58 totidemque guttae vulnerum stillant simul.
59 Major tortor erat qui summa pupugerat infans
60 quam qui profunda perforarat viscera ;
61 ille levis quoniam percussor, morte negata,
62 saevire solis scit dolorum spiculis,
63 hic, quanto interius vitalia condita pulsat,
64 plus dat medellae, dum necem prope applicat.
65 "Este, precor, fortes et vincite viribus annos ;
66 quod defit aevo, suppleat crudelitas ! "
67 Sed male conatus tener infirmusque laborat ;
68 tormenta crescunt, dum fatiscit carnifex.
69 "Quid gemis ? " exclamat quidam, "tute ipse magister
70 istud dedisti ferrum et armasti manus.
71 Reddimus ecce tibi tam milia multa notarum

72 quam stando, flendo te docente excepimus.
73 Non potes irasci, quod scribimus ; ipse jubebas,
74 numquam quietum dextera ut ferret stilum.
75 Non petimus totiens te praeceptore negatas,
76 avare doctor, jam scholarum ferias.
77 Pangere puncta libet sulcisque intexere sulcos,
78 flexas catenis inpedire virgulas.
79 Emendes licet inspectos longo ordine versus,
80 mendosa forte si quid erravit manus,
81 exerce imperium ; jus est tibi plectere culpam,
82 si quis tuorum te notavit segnius."
83 Talia ludebant pueri per membra magistri,
84 nec longa fessum poena solvebat virum.
85 Tandem luctantis miseratus ab aethere Christus
86 jubet resolvi pectoris ligamina ;
87 difficilesque moras animae ac retinacula vitae
88 relaxat, artas et latebras expedit.
89 Sanguis ab interno venarum fonte patentes
90 vias secutus deserit praecordia,
91 totque foraminibus penetrati corporis exit
92 fibrarum anhelans ille vitalis calor.
93 Haec sunt quae liquidis expressa coloribus, hospes,
94 miraris ; ista est Cassiani gloria.
95 Suggere, si quod habes justum vel amabile votum,
96 spes si qua tibi est, si quid intus aestuas !
97 Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes
98 ratasque reddit, quas videt probabiles."
99 Pareo : conplector tumulum, lacrimas quoque fundo,
100 altar tepescit ore, saxum pectore.
101 Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris,
102 tunc, quod petebam, quod timebam, murmuro :
103 et post terga domum dubia sub sorte relictam,
104 et spem futuri forte nutantem boni.
105 Audior ; "urbem adeo, dextris successibus utor,
106 domum revertor, Cassianum praedico.

SANCTI ROMANI MARTYRIS CONTRA GENTILES DICTA

P10 v.1 Romane, Christi fortis adsertor dei,
2 elinguis oris organum fautor move,
3 largire comptum carmen infantissimo,
4 fac ut tuarum mira laudum concinam !
5 Nam scis et ipse posse mutos eloqui.
6 Plectrum palati et faucium saevus tibi
7 tortor revulsit nec tamen silentium
8 indixit ori, quo fatebaris deum.
9 Vox veritatis testis exstingui nequit,
10 nec si recisis palpitet meatibus.
11 Sic noster haerens sermo lingua debili
12 balbutit et modis laborat absonis ;
13 sed si superno rore respergas jecur
14 et spiritali lacte pectus inriges,
15 vox inpeditos rauca laxabit sonos.
16 Evangelista scripsit ipsum talia
17 praecepta Messian dedisse apostolis :
18 "Nolite verba, cum sacramentum meum

erit canendum, providenter quaerere,
ego inparatis quae loquantur suggeram".
Sum mutus ipse, sed potens facundiae
mea lingua Christus luculente disseret.
Ipse explicabit quos supremo spiritu
daemon tumultus, dum domatur, moverit,
furore pestis pejor in novissimo.
Sic vulneratus anguis ictu spiculi
ferrum remordet et dolore saevior
quassando pressis inmoratur dentibus ;
hastile fixum sed manet profundius
nec cassa sentit morsuum pericula.
Galerius orbis forte Romani statum
ductor regebat, ut refert antiquitas,
inmitis, atrox, asper, inplacabilis.
Edicta late mundum in omnem miserat :
Christum negaret, quisque mallet vivere.
Haec ille serpens ore dictat regio,
qui mortuorum de sepulcris exiens
clamat : "Quid ante tempus adventu cito
mea regna solvis ? Parce, fili altissimi,
vel possidere corda porcorum jube ? "
Praefectus istis inminens negotiis
Asclepiades ire mandat milites
ecclesiasten usque de sacrariis
raptare plebem mancipandam vinculis,
ni disciplinam Nazarenam respuat.
Mox ipse, templum cogitans inrumpere,
et dissipare sancta sanctorum studens,
armis profanus praeparabat impiis
altaris aram funditus pessum dare,
foresque et ipsas in ruinam solvere.
Praecurrit index his repente cognitis
Romanus, acris heros excellentiae ;
venire in armis perduelles nuntiat
animos paventum praestruens hortatibus,
stent ut parati neve cedant turbini.
Conspirat uno foederatus spiritu
grex christianus, agmen inperterritum
matrum, virorum, parvulorum, virginum ;
fixa et statuta est omnibus sententia
fidem tueri vel libenter emori.
Refert repulsus miles ad subsellia
plebis rebellis esse Romanum ducem,
flagrare cunctos pervicaci audacia,
jugulos retectos obstinate opponere,
quo gloriosa morte fortes oppetant.
Praeceps jubetur inde Romanus rapi,
solusque ut incitator et fax omnium,
pro contumaci plebe causam dicere.
It non resistens seque vinciri petit,
flexas et ultro torquet in tergum manus.
Amor coronae paene praevenit trucem
lictoris artem sponte nudas offerens
costas bisulcis exsecandas ungulis.
Inrumpit altum limen et praeconibus
stupore mutis ipse tortorem trahit.
Adstanti ob ora sic tyrannus incipit :

"Infame monstrum, vilis, intestabilis
tu ventilator urbis et vulgi levis
procella, mentes inquietas mobiles,
ne se imperita turba dedat legibus.
Populare quiddam sub colore gloriae
inlitterata credidit frequentia,
ut se per aevum consecrandos autument,
si bella divis ceu gigantes inferant
victique flammis obruantur montium.
Hoc tu parasti, perdite, spectaculum
cladis cruentae denecandis civibus,
quos ut profanos inpiati et saeculi
reos necesse est te magistro interfici,
tu causa mortis, tu malorum signifer.
Ni fallor, aequum est ut, quod auctor inprobus
tolerare multos conpulisti ut carnifex,
in te recurrat proque tantis caedibus
quae mox futurae, primus exitium luas
feras et ipse, quod ferendum suaseras."
His ille contra reddit ore libero :
"Amplector, o praefecte, nec me subtraho,
ut pro fideli plebe solus immoler,
dignus subire cuncta, si me consulis,
quaecumque vestra jusserit crudelitas.
Intrare servis idolorum ac daemonum
sanctam salutis non licet nostrae domum,
ne polluatur purus orandi locus ;
confido Sancto in Spiritu numquam tibi
dandum, ut beatum limen attingas pede,
nisi forte noster factus in nostrum gregem
mereare sumi, quod pater faxit Deus ! "
Incensus his Asclepiades jusserat
eviscerandum corpus eculeo eminus
pendere et uncis vinculisque crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt
illum vetusta nobilem prosapia
meritisque multis esse primum civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem,
plebeia clarum poena ne damnet virum.
"Tundatur", inquit, "terga crebris ictibus
plumboque cervix verberata extuberet.
Persona quaeque competenter plectitur
magnique refert, vilis an sit nobilis ;
gradu reorum forma tormentis datur."
Pulsatus ergo martyr illa grandine
postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,
erectus infit : "Absit, ut me nobilem
sanguis parentum praestet aut lex curiae ;
generosa Christi secta nobilitat viros.
Si, prima nostris quae sit incunabulis
origo, textu stemmatis recenseas,
dei parentis esse ab ore coepimus.
Cui quisque servit, ille vere est nobilis,
Patri rebellis invenitur degener.
Honos deinde stemmati accedit novus
et splendor ingens ut magistratus venit,
si confitendi nominis testem probum
signent inusta ferri et ignis vulnera

et vim dolorum mors sequatur inclyta.
Cave, benignus esse perverse velis,
nec mi remissus leniter peperceris ;
incumbe membris, tortor, ut sim nobilis !
His ampliatus si fruar successibus,
genus patris matrisque flocci fecero.
Haec ipsa vestra dignitatum culmina
quid esse censes ? Nonne cursim transeunt
fasces, secures, sella, praetextae togae,
lictor, tribunal et trecenta insignia,
quibus tumetis moxque detumescitis ?
Cum consulatum initis, ut vernae solent,
(pudet fateri) farre pullos pascitis ;
aquila ex eburna sumit adrogantiam
gestator ejus ac superbit beluae
inflatus osse, cui figura est alitis.
Jam si sub aris ad sigillorum pedes
jaceatis infra sectilem quercum siti,
quid esse vobis aestimem projectius ?
Nudare plantas ante carpentum scio
proceres togatos matris Ideae sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo
muliebris oris clausus argento sedet,
quem dum ad lavacrum praeeundo ducitis
pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.
Quid illa turpis pompa ? Nempe ignobiles
nos esse monstrat, cum luperci curritis.
Quem servulorum non rear vilissimum,
nudus plateas si per omnes cursitans
pulset puellas verbere ictas ludicro ?
Miseret tuorum me sacrorum et principum
morumque, Roma, saeculi summum caput.
Age, explicemus, si placet, mysteria,
praefecte, vestra : jam necesse est audias,
nolis velisne, quid colatis sordium.
Nec terret ista, qua tumes, vaesania,
quod vultuosus, quod supinus, quod rigens
tormenta leti comminaris asperi ;
si me movere rebus ullis niteris,
ratione mecum, non furore, dimica !
Jubes, relictis patris et Christi sacris
ut tecum adorem feminas mille ac mares,
deas deosque deque sexu duplici
natos, nepotes, abnepotes, editos
et tot stuprorum sordidam prosapiam.
Nubunt puellae, saepe luduntur dolis,
amasionum conprimuntur fraudibus,
incesta fervent, furta moechorum calent,
fallit maritus, odit uxor paelicem,
deos catenae conligant adulteros.
Ostende, quaeso, quas ad aras praecipis
vervece caeso fumet ut caespes meus ?
Delphosne pergam ? Sed vetat palestrici
corrupta ephebi fama, quem vester deus
effeminavit gymnadis licentia.
Mox flevit impuratus occisum gravi
disco, et dicavit florulentum succubam ;

conductus idem pavit alienum pecus,
furem deinde perditi passus gregis,
segnis bubulcus tela et ipsa perdidit.
An ad Cybebes ibo lucum pineum ?
Puer sed obstat gallus ob libidinem,
per triste vulnus perque sectum dedecus
ab impudicae tutus amplexu deae,
per multa Matri sacra plorandus spado.
Sed, credo, magni limen amplectar Jovis ?
Qui si citetur legibus vestris reus,
laqueis minacis implicatus Juliae
luat severam victus et Scantiniam
te cognitore dignus ire in carcerem.
Quid, aureorum conditorem temporum
censes colendum ? Quem fugacem non negas
latuisse furtim, dum reformidat malum :
quem si beate vivere audit Juppiter,
plectat necesse est occulendi conscios.
Quid, inter aras dissidentum numinum
putas agendum ? Martis indignabitur
offensa virtus, si colatur Lemnius ;
Junonis iram sentiet, quisque ut deum
signo aut sacello consecrarit Herculem.
Dicis licenter haec poetas fingere ;
sed sunt et ipsi talibus mysteriis
tecum dicati, quodque describunt, colunt.
Tu cur piaclum tam libenter lectitas,
cur in theatris te vidente id plauditur ?
Cygnus stuprator peccat inter pulpita,
saltat Tonantem tauricornem ludius ;
spectator horum pontifex summus sedes,
ridesque et ipse nec negando diluis,
cum fama tanti polluatur numinis.
Cur tu, sacrate, per cachinnos solveris,
cum se maritum fingit Alcmenae deus ?
Meretrix Adonem vulneratum scaenica
libidinoso plangit adfectu palam,
nec te lupanar Cypridis sanctae movet ?
Quid, quod sub ipsis veritas signis patet,
formata in aere criminum vestigiis ?
Quid vult sigillum semper adfixum Jovi
avis ministrae ? Nempe velox armiger
leno, exoletum qui tyranno pertulit.
Facem recincta veste praetendit Ceres :
cur, si deorum nemo rapuit virginem,
quam nocte quaerens mater errat pervigil ?
Fusos rotantem cernimus Tirynthium :
cur, si Neaerae non fuit ludibrio ?
Quid, rusticorum monstra detester deum,
Faunos, Priapos, fistularum praesides,
nymfas natantes incolasque aquatiles,
sitas sub alto more ranarum lacu,
divinitatis jus in algis vilibus ?
Ad haec colenda me vocas, censor bone ?
Potesne quidquam tale, si sanum sapis,
sanctum putare ? Nonne pulmonem movet
derisus istas intuens ineptias,
quas vinolentae somniis fingunt anus ?

Aut si, quod usquam est vanitatis mysticae,
nobis colendum est, ipse primus incipe.
Promisce adora, quidquid in terris sacri est,
deos Latinos et deos Aegyptios,
quis Roma libat, quis Canopus supplicat.
Venerem precaris, conprecare et simiam ;
placet sacratus aspis Aesculapii :
crocodilus, ibis et canis cur displicent ?
Adpone porris religiosas arulas,
venerare acerbum caepe, mordax allium.
Fuliginosi ture placantur lares,
et respuuntur consecrata holuscula ?
Aut unde major esse majestas focis
quam nata in hortis sarculatis creditur,
si numen ollis, numen et porris inest ?
'Sed pulchra res est forma in aere sculptilis !'
Quid inprecabor officinis Graeciae,
quae condiderunt gentibus stultis deos ?
Forceps Myronis, malleus Polycliti
natura vestrum est atque origo caelitum.
Ars seminandis efficax erroribus
barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
dum defluentem leniter flectens comam
limat capillos et corymbos Liberi,
et, dum Minervae pectus hydris asperat,
injecit atram territis formidinem,
ut fulmen aeris ceu Tonantis horreant,
tremant venenum sibilantis Gorgonae,
putent ephebum post triumphos Indicos
ferire thyrso posse, cum sit ebrius.
Tum quod Dianam molle succinctam vident,
venantis arcum pertimescunt virginis ;
si forte vultum tristioris Herculis
liquore crispo massa finxit fusilis,
clavam minari, ni colatur, creditur.
Jam quis paventum corda terror occupat,
Junonis iram si polite expresserit ?
Velut retortis intuens obtutibus
avertat ora de litantis hostia,
lapis severa fronte mentitur minas.
Miror, quod ipsum non sacrastis Mentorem
nec templum et aras ipse Phidias habet,
fabri deorum vel parentes numinum,
qui si caminis institissent segnius,
non esset ullus Juppiter conflatilis.
Non erubescis, stulte, pago dedite,
te tanta semper perdidisse obsonia,
quae dis ineptus obtulisti talibus,
quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
fracta et liquata contulerunt vascula ?
Ignosco fatuis haec tamen vulgaribus,
quos lana terret discolora in stipite,
quos saepe falsus circulator decipit,
quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidae
edentularum cantilenae suaserint ;
vos eruditos miror et doctos viros,
perpensa vitae quos gubernat regula,
nescire vel divina vel mortalia

quo jure constent, quanta majestas regat
quidquid creatum est, quae creavit omnia.
Deus perennis, res inaestimabilis,
non cogitando, non videndo clauditur ;
excedit omnem mentis humanae modum,
nec conprehendi visibus nostris valet,
extraque et intus inplet ac superfluit.
Intemporalis, antequam primus dies,
esse et fuisse semper unus obtinet.
Lux ipse vera veri et auctor Luminis,
cum Lumen esset, Lumen effudit suum :
ex luce fulgor natus hic est Filius.
Vis una Patris, vis et una est Filii ;
unusque ab uno Lumine Splendor satus
pleno refulsit claritatis numine ;
natura simplex pollet unius Dei
et, quidquid usquam est, una virtus condidit :
caelum solumque, vim marini gurgitis,
globos dierum noctiumque praesides,
ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
septem triones, hesperos, aestus, nives,
fontes, pruinas et metalla et flumina ;
praerupta, plana, montium convallia,
feras, volucres, reptiles, natatiles,
jumenta, pecua, subjugales, beluas,
flores, frutecta, germina, herbas, arbores,
quae sunt odori quaeque vernant esui.
Haec non labore et arte molitus deus
sed jussione, quam potestas protulit ;
mandavit esse ; facta sunt, quae non erant ;
Verbo creavit omniformem machinam ;
virtus paterna semper in verbo fuit.
Cognostis ipsum, nunc colendi agnoscite
ritum modumque, quale sit templi genus,
quae dedicari sanxerit donaria,
quae vota poscat, quos sacerdotes velit,
quod mandet illic nectar immolarier.
Aedem sibi ipse mente in hominis condidit
vivam, serenam, sensualem, flabilem,
solvi incapacem posse nec distructilem,
pulchram, venustam, praeminentem culmine,
discriminatis inlitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine
foresque primas virgo custodit Fides,
innexa crines vinculis regalibus ;
poscit litari victimas Christo et Patri,
quas scit placere candidatas, simplices :
frontis pudorem, cordis innocentiam,
pacis quietem, castitatem corporis,
Dei timorem, regulam scientiae,
jejuniorum parcitatem sobriam,
spem non jacentem, semper et largam manum.
Ex his amoenus hostiis surgit vapor,
vincens odorem balsami, turis, croci,
auras madentes Persicorum aromatum ;
sublatus inde caelum adusque tollitur,
et prosperatum dulce delectat Deum.
Hanc disciplinam quisquis infensus vetat,

vetat probatum vivere et sanctum sequi,
vetat vigorem mentis alte intendere,
nostrique acumen ignis ad terram vocat,
nec excitari vim sinit prudentiae.
O mersa limo caecitas gentilium,
o carnulenta nationum pectora,
o spissus error, o tenebrosum genus,
terris amicum, deditum cadaveri,
subjecta semper intuens, numquam supra !
Furorne summus ultima et dementia est
deos putare, qui creantur nuptiis,
rem spiritalem terrulente quaerere,
elementa mundi consecrare altaribus,
id, quod creatum est, conditorem credere,
deasceato supplicate stipiti,
verris cruore scripta saxa spargere,
aras ofellis obsecrare bubulis,
homines fuisse cum scias, quos consecras,
urnas reorum morticinas lambere ?
Desiste, judex saeculi, tantum nefas
viris jubere fortibusque et liberis !
Nil est amore veritatis celsius ;
Dei perennis nomen adserentibus
nihil pavori est, mors et ipsa subjacet.
Dudum coquebat disserente martyre
Asclepiades intus iram subdolam,
stomachatus alto felle, dum longum silet
bilemque tectis concipit praecordiis ;
tandem latentis vim furoris evomit :
"Pro Juppiter ! quid est, quod ex hoc audio ?
Stat inter aras et deorum imagines
et, quod fateri cogor, in medio foro
tacente memet ac perorat perditus,
quidquid sacrorum est ore foedans inpio.
O fas priorum, moris o prisci status !
Inventa regum pro salute publica
Pompiliorum nostra carpunt saecula.
Quis hos sophistas error invexit novus,
qui non colendos esse divos disputent ?
Nunc dogma nobis christianum nascitur,
post evolutos mille demum consules
ab urbe Roma, ne retexam Nestoras.
Quidquid novellum surgit, olim non fuit.
Vis summa rerum nosse ? Pyrram consule !
Ubi iste vester tunc erat summus Deus,
divum favore cum puer Mavortius
fundaret arcem septicollem Romulus ?
Quod Roma pollet auspicato condita,
Jovi Statori debet et dis ceteris.
Hoc sanctum ab aevo est, hoc ab atavis traditum :
placanda nobis pro triumphis principis
delubra, faustus ut secundet gloriam
procinctus utque subjugatis hostibus
ductor quietum frenet orbem legibus.
Accingere ergo, quisquis es, nequissime,
pro principali rite nobiscum deos
orare vita vel, quod hostem publicum
pati necesse est, solve poenam sanguine :

sprevisse templa respuisse est principem."
Tunc ille : "Numquam pro salute et maximis
fortissimisque principis cohortibus
aliter precabor, quam fidele ut militent,
Christique lymphis ut renascantur Patri,
capiant et ipsum caelitus Paraclitum,
ut idolorum respuant caliginem,
cernant ut illud lumen aeternae spei,
non suculentis influens obtutibus
nec corporales per fenestras emicans,
puris sed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis crassa crassum perspicit
et res caduca, quod resolvendum est, videt,
liquidis videndis aptus est animae liquor,
natura fervens sola ferventissimae
divinitatis vim coruscantem capit.
Hoc, opto, lumen imperator noverit
tuus meusque, si velit fieri meus ;
nam si resistit christiano nomini,
meus ille talis imperator non erit ;
scelus jubenti, crede, numquam serviam."
"Statis, ministri ? " clamitans judex ait,
"statis manusque continetis vindices ?
Non rupta sulcis dissecatis viscera,
animam nec intus abditam rimamini,
erumpit unde vox profana in principem ? "
Scindunt utrumque milites teterrimi
mucrone hiulco pensilis latus viri,
sulcant per artus longa tractim vulnera,
obliqua rectis, recta transversis secant,
et jam retectis pectus albet ossibus.
Nitendo anhelant, diffluunt sudoribus,
cum sit quietus heros, in quem saeviunt.
Haec inter addit sponte Romanus loqui :
"Si quaeris, o praefecte, verum noscere,
hoc omne, quidquid lancinamur, non dolet.
Dolet, quod error pectori insedit tuo,
populos quod istos perditos tecum trahis.
Currunt frequentes undique ad spectaculum,
gentile vulgus, heu, gemenda corpora,
crudumque nostrae sortis exemplum tremunt.
Audite cuncti, clamo longe ac praedico,
emitto vocem de catasta celsior :
Christus paternae gloriae splendor, Deus,
rerum creator, noster idem particeps
spondet salutem perpetem credentibus ;
animae salutem, sola quae non occidit,
sed juge durans dispares casus subit :
aut luce fulget aut tenebris mergitur ;
Christum secuta patris intrat gloriam ;
disjuncta Christo mancipatur tartaro.
Curanda mercis qualitas, quaenam mihi
contingat olim perpetis substantiae ;
nam membra parvi pendo, quo pacto cadant,
casura certe lege naturae suae.
Instat ruina ; quod resolvendum est, ruat.
Nec distat, ignis et fidiculae saeviant,
an corpus aegrum languor asper torqueat,

cum saepe morbos major armet saevitas.
Non ungularum tanta vis latus fodit,
mucrone quanto dira pulsat pleurisis ;
nec sic inusta lamminis ardet cutis
ut febris atro felle venas exedit,
vel summa pellis ignis obductus coquit
papulasque fervor aestuosus excitat :
credas cremari stridulis cauteribus.
Miserum putatis, quod retortis pendeo
extentus ulnis, quod revelluntur pedes,
compago nervis quod sonat crepantibus :
sic hejulantes ossa clamant dividi,
nodosa torquet quos podagra et arthrisis.
Horretis omnes hasce carnificum manus :
num mitiores sunt manus medentium,
laniena quando saevit Hippocratica ?
Vivum secatur viscus et recens cruor
scalpella tinguit, dum putredo abraditur.
Putate ferrum triste chirurgos meis
inferre costis, quod secat salubriter ;
non est amarum, quo reformatur salus ;
videntur isti carpere artus tabidos,
sed dant medelam rebus intus vividis.
Quis nescit autem, quanta corruptela sit
contaminatae carnis ac solubilis ?
Sordet, tumescit, liquitur, faetet, dolet,
inflatur ira, solvitur libidine,
plerumque felle tincta livores trahit.
Aurum regestum nonne carni adquiritur ?
Inlusa vestis, gemma, bombyx, purpura
in carnis usum mille quaeruntur dolis ;
luxus vorandi carnis arvinam fovet ;
carnis voluptas omne per nefas ruit.
Medere, quaeso, carnifex, tantis malis,
concide, carpe fomitem peccaminum ;
fac ut, resecto debilis carnis situ,
dolore ab omni mens supersit libera,
nec gestet ultra quod tyrannus amputet.
Nec terrearis turba circumstantium :
hoc perdo solum, quod peribit omnibus,
regi, clienti pauperique et diviti.
Sic vernularum, sic senatorum caro
tabescit, imo cum sepulcro condita est.
Jactura vilis mordet et damnum leve,
si, quo carendum est, perdere extimescimus.
Cur, quod necesse est, non voluntas occupat,
natura cur non vertit in rem gloriae ?
Legale damnum deputemus praemiis.
Sed praemiorum forma quae sit fortibus,
videamus, illa nempe, quae numquam perit.
Caelo refusus subvolabit spiritus,
Dei Parentis perfruetur lumine,
regnante Christo stans in arce regia.
Quandoque caelum ceu liber plicabitur,
cadet rotati solis in terram globus ;
sphaeram ruina menstrualem destruet ;
Deus superstes solus et justi simul
cum sempiternis permanebunt angelis.

Contemne praesens utile, o prudens homo,
quod terminandum, quod relinquendum est tibi ;
omitte corpus, rem sepulcri et funeris,
tende ad futuram gloriam, perge ad Deum ;
agnosce, qui sis, vince mundum et saeculum ! "
Vixdum elocutus martyr hanc peregerat
orationem, cum furens interserit
Asclepiades : "Vertat ictum carnifex
in os loquentis inque maxillas manum
sulcosque acutos et fidiculas transferat.
Verbositatis ipse rumpatur locus,
scaturientes perdat ut loquacitas
sermonis auras perforatis follibus,
quibus sonandi nulla lex ponit modum ;
ipsa et loquentis verba torqueri volo."
Inplet jubentis dicta lictor inpius ;
charaxat ambas ungulis scribentibus
genas cruentis et secat faciem notis,
hirsuta barbis solvitur carptim cutis
et mentum adusque vultus omnis scinditur.
Martyr fluentem fatur inter sanguinem :
"Grates tibi, o praefecte, magnas debeo,
quod multa pandens ora jam Christum loquor :
artabat ampli nominis praeconium
meatus unus, impar ad laudes Dei.
Rimas patentes invenit vox edita,
multisque fusa rictibus reddit sonos
hinc inde plures et profatur undique
Christi Patrisque sempiternam gloriam :
tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera."
Tali repressus cognitor constantia
cessare poenam praecipit ; tunc sic ait :
"Per Solis ignes juro, qui nostros dies
reciprocatis administrat circulis,
cujus recursu lux et annus ducitur,
ignes parandos jam tibi tristis rogi,
qui fine digno corpus istud devorent,
quod perseverans tam resistit nequiter
sacris vetustis nec dolorum spiculis
victum fatiscit fitque poenis fortius.
Quis hunc rigorem pectori injecit stupor ?
Mens obstinata est, corpus omne obcalluit.
Tantus novelli dogmatis regnat furor !
Hic nempe vester Christus haud olim fuit,
quem tu fateris ipse suffixum cruci."
"Haec illa crux est omnium nostrum salus",
Romanus inquit, "hominis haec redemptio est.
Scio incapacem te sacramenti, impie,
non posse caecis sensibus mysterium
haurire nostrum : nil diurnum nox capit.
Tamen in tenebris proferam claram facem ;
sanus videbit, lippus oculos obteget.
Removete lumen, dicet insanabilis ;
injuriosa est nil videnti claritas.
Audi, profane, quod gravatus oderis !
Regem perennem Rex perennis protulit
in se manentem nec minorem tempore,
quia tempus illum non tenet ; nam fons retro

exordiorum est et dierum et temporum ;
ex Patre Christus : hoc Pater quod Filius.
Hic se videndum praestitit mortalibus,
mortale corpus sumpsit inmortalitas,
ut, dum caducum portat aeternus Deus,
transire nostrum posset ad caelestia :
homo est peremptus et resurrexit Deus.
Congressa mors est membra gestanti Deo ;
dum nostra temptat, cessit inmortalibus.
Stultum putatis hoc, sophistae saeculi ;
sed stulta mundi summus elegit Pater,
ut stultus esset saeculi prudens Dei.
Antiquitatem Romuli et Mavortiam
lupam renarras primum et omen vulturum.
Si res novellas respuis, nil tam recens :
vix mille fastis inplet hanc aetatulam
cursus dierum conditore ab augure.
Sescenta possum regna pridem condita
proferre toto in orbe, si sit otium,
multo ante clara, quam capellam Gnosiam
suxisse fertur Juppiter, Martis pater.
Sed illa non sunt, haec et olim non erunt.
Crux ista Christi, quam novellam dicitis,
nascente mundo factus ut primum est homo,
expressa signis, expedita est litteris,
adventus ejus mille per miracula
praenuntiatus ore vatum consono.
Reges, prophetae judicesque et principes
virtute, bellis, cultibus sacris, stilo
non destiterunt pingere figuram crucis ;
crux praenotata, crux adumbrata est prius,
crucem vetusta combiberunt saecula.
Tandem retectis vocibusque propheticis
aetate nostra conprobata antiquitas
coram refulsit ore conspicabili,
ne fluctuaret veritas dubia fide,
si non pateret teste visu comminus.
Hinc nos et ipsum non perire credimus
corpus, sepulcro quod vorandum traditur,
quia Christus in se mortuum corpus cruci
secum excitatum vexit ad solium Patris
viamque cunctis ad resurgendum dedit.
Crux illa nostra est, nos patibulum ascendimus,
nobis peremptus Christus et nobis Deus
Christus reversus, ipse qui moriens homo est,
natura duplex : moritur et mortem domat,
reditque in illud, quod perire nesciat.
Dixisse pauca sit satis de mysticis
nostrae salutis deque processu spei ;
jam jam silebo : margaritas spargere
Christi vetamur inter inmundos sues,
lutulenta sanctum ne terant animalia.
Sed quia profunda non licet luctarier
ratione tecum, consulamus proxima :
interrogetur ipsa naturalium
simplex sine arte sensuum sententia,
fuci imperitus fac ut adsit arbiter.
Da septuennem circiter puerum ant minus,

qui sit favoris liber et non oderit
quemquam nec ullum mentis in vitium cadat ;
periclitemur, quid recens infantia
dicat sequendum, quid novus sapiat vigor."
Hanc ille sancti martyris vocem libens
amplexus unum de caterva infantium
parvum nec olim lacte depulsum capi
captumque adesse praecipit : "Quidvis roga",
inquit, "sequamur, quod probarit pusio."
Romanus ardens experiri innoxiam
lactantis oris indolem : "Filiole", ait,
"dic, quid videtur esse verum et congruens,
unumne Christum colere et in Christo Patrem,
an conprecari mille formarum deos ? "
Adrisit infans nec moratus rettulit :
"Est quidquid illud, quod ferunt homines deum,
unum esse oportet, et, quod uni, est unicum.
Cum Christus hoc sit, Christus est verus Deus,
genera deorum multa nec pueri putant."
Stupuit tyrannus sub pudore fluctuans ;
nec vim decebat innocenti aetatulae
inferre leges nec loquenti talia
furor sinebat efferatus parcere :
"Quis auctor", inquit, "vocis est hujus tibi ? "
Respondit ille : "Mater et matri Deus :
illa ex parente spiritu docta imbibit,
quo me inter ipsa pasceret cunabula ;
ego ut gemellis uberum de fontibus
lac parvus hausi, Christum et hausi credere."
"Ergo ipsa mater adsit", exclamat, "cedo",
Asclepiades, "disciplinae et exitum
tristem suae magistra spectet impia ;
male eruditi torqueatur funere
infantis orba, quemque corrupit, fleat.
Absit, ministros vilis ut muliercula
nostros fatiget : quantulus autem dolor
vexabit artus mortis auxilio brevis !
Oculi parentis punientur acrius,
quam si cruentae membra carpant ungulae."
Vix haec profatus pusionem praecipit
sublime tollant et manu pulsent nates,
mox et remota veste virgis verberent
tenerumque duris ictibus tergum secent,
plus unde laetis quam cruoris defluat.
Quae cautis illud perpeti spectaculum,
quis ferre possit aeris aut ferri rigor ?
Impacta quotiens corpus attigerat salix,
tenui rubebant sanguine uda vimina,
quem plaga flerat roscidis livoribus.
Ferunt minaces verberantium genas
inlacrimasse sponte dimanantibus
guttis per ora barbarum frementia,
scribas et ipsos et coronam plebium
proceresque siccis non stetisse visibus.
At sola mater hisce lamentis caret ;
soli sereno frons renidet gaudio :
stat in piorum corde pietas fortior,
amore Christi contumax doloribus,

715 firmatque sensum mollis indulgentiae.
716 Sitire sese parvus exclamaverat :
717 animae aestuantis ardor in cruciatibus
718 hoc exigebat, lymphae ut haustum posceret ;
719 quem torva mater eminus triste intuens
720 vultu et severis vocibus sic increpat :
721 "Puto, imbecillo, nate, turbaris metu
722 et te doloris horror adflictum domat.
723 Non hanc meorum viscerum stirpem fore
724 Deo spopondi, non in hanc spem gloriae
725 te procreavi, cedere ut leto scias.
726 Aquam bibendam postulas, cum sit tibi
727 fons ille vivus praesto, qui semper fluit
728 et cuncta solus inrigat viventia,
729 intus forisque spiritum et corpus simul,
730 aeternitatem largiens potantibus.
731 Venies ad illud mox fluentum, si modo
732 animo ac medullis solus ardor aestuet
733 videre Christum, quod semel potum adfatim
734 sic sedat omnem pectoris flagrantiam,
735 vita ut beata jam sitire nesciat.
736 Hic, hic bibendus, nate, nunc tibi est calix,
737 mille in Bethleem quem biberunt parvuli :
738 oblita lactis et papillarum immemor
739 aetas amaris, mox deinde dulcibus
740 refecta poclis mella sumpsit sanguinis.
741 Exemplum ad istud nitere, o fortis puer,
742 generosa prolis matris et potentia !
743 Omnes capaces esse virtutum Pater
744 mandavit annos, neminem excepit diem,
745 ipsis triumphos adnuens vagitibus.
746 Scis, saepe dixi, cum docenti adluderes
747 et garrulorum signa verborum dares,
748 Isaac fuisse parvulum patri unicum,
749 qui, cum immolandus aram et ensem cerneret,
750 ultro sacranti colla praebuerit seni.
751 Narravi et illud nobile ac memorabile
752 certamen, una matre quod septem editi
753 gessere pueri, sed tamen factis viri,
754 hortante eadem matre in ancipiti exitu,
755 poenae et coronae sanguini ut ne parcerent.
756 Videbat ipsos apparatus funerum
757 praesens suorum nec movebatur parens,
758 laetata, quotiens aut olivo stridula
759 sartago frixum torruisset puberem,
760 dira aut cremasset lamminarum inpressio.
761 Comam cutemque verticis revulserat
762 a fronte tortor, nuda testa ut tegmine
763 cervicem adusque dehonestaret caput ;
764 clamabat illa : "Patere, gemmis vestiet
765 apicem hunc corona regio ex diademate."
766 Linguam tyrannus amputari jusserat
767 uni ex ephebis ; mater aiebat : "Satis
768 jam parta nobis gloria est, pars optima
769 Deo inmolatur ecce nostri corporis ;
770 digna est fidelis lingua, quae sit hostia.
771 Interpres animi, enuntiatrix sensuum,
772 cordis ministra, praeco operti pectoris,

prima offeratur in sacramentum necis
et sit redemptrix prima membrorum omnium ;
ducem dicatam mox sequentur cetera."
His Maccabeos incitans stimulis parens
hostem subegit subjugatum septies,
quot feta natis, tot triumphis inclyta ;
me partus unus ut feracem gloriae,
mea vita, praestet, in tua est situm manu.
Per hujus alvi fida conceptacula,
per hospitalem mense bis quino larem,
si dulce nostri pectoris nectar tibi,
si molle gremium, grata si crepundia,
persiste et horum munerum auctorem adsere !
Quanam arte nobis vivere intus coeperis,
nihilumque et illud, unde corpus, nescio ;
novit animator solus et factor tui ;
impendere ipsi, cujus ortus munere es,
bene in datorem, quod dedit, refuderis".
Talia canente matre jam laetus puer
virgas strepentes et dolorem verberum
ridebat. Hic tum cognitor pronuntiat :
"Claudatur infans carcere et tanti mali
Romanus auctor torqueatur acrius."
Illum recentes per cicatricum vias
denuo exarabant, quaque acutum traxerant
paulo ante ferrum, mox recrudescentibus
plagis apertas persequebantur notas ;
quos jam superbus victor ignavos vocat.
"O non virile robur, o molles manus !
Unam labantis dissipare tam diu
vos non potesse fabricam corpusculi !
Vix jam cohaeret nec tamen penitus cadit
vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius cadaver dentibus carpunt canes
longeque morsus vulturum efficacior
ad devorandas carnis offas mortuae ;
languetis imbelli fame ac fatiscitis ;
gula est ferina, sed socors edacitas."
Exarsit istis turbida ira judicis
seque in supremam concitat sententiam :
"Si te morarum paenitet, finem citum
subeas, licebit : ignibus vorabere
damnatus et favilla jam tenuis fies."
Abiens at ille, cum foro abriperent virum
truces ministri, pone respectans ait :
"Appello ab ista, perfide, ad Christum meum
crudelitate, non metu mortis tremens,
sed ut probetur esse nil, quod judicas".
"Quid differo", inquit ille, "utrosque perdere,
puerum ac magistrum, conplices sectae inpiae ?
Gladius recidat vile vix hominis caput
infantis, istum flamma vindex concremet ;
sit his sub uno fine dispar exitus."
Perventum ad ipsum caedis implendae locum.
Natum gerebat mater amplexu et sinu,
ut primitivum crederes fetum geri
Deo offerendum sancti Abelis ferculo,
lectum ex ovili, puriorem ceteris.

Puerum poposcit carnifex ; mater dedit,
nec immorata est fletibus, tantum osculum
inpressit unum : "Vale", ait, "dulcissime,
et, cum beatus regna Christi intraveris,
memento matris, jam patrone ex filio ! "
Dixit. Deinde, dum ferit cerviculam
percussor ense, docta mulier psallere
hymnum canebat carminis Davitici :
"Pretiosa sancti mors sub aspectu Dei,
tuus ille servus, prolis ancillae tuae."
Talia retexens explicabat pallium
manusque tendebat sub ictu et sanguine,
venarum ut undam profluam manantium
et palpitantis oris exciperet globum :
excepit et caro adplicavit pectori.
At parte campi ex altera inmanem pyram
texebat ustor fumidus pinu arida,
sarmenta mixtim subdita et faeni struem
spargens liquato rore ferventis picis,
quo flamma pastu cresceret ferocius.
Et jam retortis bracchiis furca eminus
Romanus actus ingerebatur rogo :
"Scio", inquit ille, "non futurum, ut concremer,
nec passionis hoc genus datum est mihi,
et restat ingens quod fiat miraculum."
Haec ejus orsa sequitur inmensus fragor
nubis ruentis ; nimbus undatim nigro
praeceps aquarum flumine ignes obruit.
Alunt olivo semicombustas faces,
sed vincit imber jam madentem fomitem.
Trepidare teter carnifex rebus novis
turbatus et, qua posset arte, insistere,
versare torres cum favillis umidis,
prunas maniplis confovere stuppeis
et semen ignis inter undas quaerere.
Quod cum tumenti nuntiatum judici,
commovit iram fellis inplacabilis :
"Quousque tandem summus hic nobis magus
inludet", inquit, "Thessalorum carmine
poenam peritus vertere in ludibrium ?
Fortasse cervix, si secandam jussero,
flecti sub ensem non patebit vulneri,
vel amputatum plaga collum dividens
rursus coibit ac reglutinabitur
umerisque vertex eminebit additus.
Temptemus igitur ante partem quampiam
truncare ferro corporis superstitis,
ne morte simpla criminosus multiplex
cadat vel una perfidus caede oppetat :
quot membra gestat, tot modis pereat volo.
Libet experiri, Lerna sicut traditur,
utrum renatis pullulascat artubus
ac se inminuti corporis damnis novum
instauret : ipse praesto erit tunc Hercules
hydrina suetus ustuire vulnera.
Jam nunc secandi doctus adsit artifex,
qui cuncta norit viscerum confinia
vel nexa nervis disparare vincula :

date hunc, revulsis qui medetur ossibus
aut fracta nodis sarciens conpaginat.
Linguam priorem detrahat radicitus,
quae corpore omni sola vivit nequior ;
illa et procaci pessima in nostros deos
invecta motu fas profanavit vetus
audax et ipsi non pepercit principi."
Aristo quidam medicus accitus venit,
proferre linguam praecipit. Profert statim
martyr retectam, pandit ima et faucium.
Ille et palatum tractat et digito exitum
vocis pererrans vulneri explorat locum.
Linguam deinde longe ab ore protrahens
scalpellum in usque guttur insertans agit.
Illo secante fila sensim singula
numquam momordit martyr aut os dentibus
conpressit artis nec cruorem sorbuit.
Inmotus et patente rictu constitit,
dum sanguis extra defluit scaturiens ;
perfusa pulcher menta russo stemmate
fert et cruenti pectoris spectat decus,
fruiturque et ostro vestis ut jam regiae.
Praefectus ergo ratus elinguem virum
cogi ad sacrandum posse, cum verbis carens
nil in deorum blateraret dedecus,
jubet reduci jam tacentem ac debilem
multo loquentis turbine olim territus.
Reponit aras ad tribunal denuo
et tus et ignem vividum in carbonibus
taurina et exta vel suilla abdomina ;
ingressus ille, ut hos paratus perspicit,
insufflat, ipsos ceu videret daemonas.
Inridet hoc Asclepiades laetior,
addit deinde : "Numquid inclementius,
sicut solebas, es paratus dicere ?
Effare quidvis ac perora et dissere ;
permitto, vocem libere ut exerceas."
Romanus, alto corde suspirans diu,
gemitu querellam traxit et sic orsus est :
"Christum loquenti lingua numquam defuit,
nec verba quaeras quo regantur organo,
cum praedicatur ipse verborum dator.
Qui fecit, ut vis vocis expressa intimo
pulmone et oris torta sub testudine
nunc ex palato det repercussos sonos,
nunc temperetur dentium de pectine
sitque his agendis lingua plectrum mobile,
si mandet idem faucium sic fistulas
spirare flatu concinentes consono,
ut verba in ipsis explicent meatibus,
vel exitu oris, cymbalis profarier
nunc pressa parce labra, nunc hiantia,
dubitasne verti posse naturae statum,
cui facta forma est, qualis esset primitus ?
Hanc nempe factor vertere, ut libet, potest
positasque leges texere ac retexere,
linguam loquella ne ministram postulet.
Vis scire nostri numinis potentiam ?

Fluctus liquentis aequoris pressit pede,
natura fluxa ac tenuis in solidum coit :
quam dispar illis legibus, quis condita est !
Solet natatus ferre, fert vestigia.
Habet usitatum munus hoc divinitas,
quae vera nobis colitur in Christo et Patre,
mutis loquellam, percitum claudis gradum,
surdis fruendam reddere audientiam,
donare caecis lucis insuetae diem.
Haec si quis amens fabulosa existimat,
vel ipse tute si parum fidelia
rebare pridem, vera cognoscas licet :
habes loquentem, cujus amputaveras
linguam : probatis cede jam miraculis."
Horror stupentem persecutorem subit,
timorque et ira pectus in caliginem
vertere : nescit, vigilet anne somniet ;
miratur haerens, quod sit ostenti genus ;
formido frangit, armat indignatio.
Nec vim domare mentis effrenae potest
nec, quo furoris tela vertat, invenit.
Postremo medicum saevus insontem jubet
reum citari, nundinatum hunc arguit,
mercede certa pactus ut conluderet,
aut ferrum in ore nil agens et irritum
versasse frustra seu retunsis tactibus
aut arte quadam vulnus inlatum breve,
quod sauciata parte linguam laederet
nervos nec omnes usque quaque abscideret.
Manere salvam vocis harmoniam probe ;
non posse inani concavo verba exprimi,
quae concrepare ligula moderatrix facit.
Esto, ut resultet spiritus vacuo specu,
echo sed extat inde, non oratio.
Veris refutat medicus hanc calumniam :
"Scrutare vel tu nunc latebras faucium,
intraque dentes curiosum pollicem
circumfer, haustus vel patentes inspice,
lateatne quidquam quod regat spiramina.
Quamquam forassem forte si puncto levi
tenuive linguam contigissem vulnere,
titubante plectro fatus esset debilis ;
nam cum magistra vocis in vitium cadit,
usus necesse est et loquendi intercidat.
Fiat periclum, si placet, cujusmodi
edat querellam quadrupes lingua eruta,
elinguis et quem porca grunnitum strepat,
cui vox fragosa, clamor est inconditus,
probabo mutam nil sonare stridulum.
Testor salutem principis me simplici
functum secantis arte, judex optime,
servisse jussis absque fraude publicis ;
sciat hic, quis illi verba suggillet deus,
ego, unde mutus sit disertus, nescio."
His sese Aristo purgat, at contra inpium
nil haec latronem christianorum movent ;
magis magisque fertur in vesaniam.
Quaerit, alienus sanguis ille asperserit

virum, suone fluxerit de vulnere.
Respondit his Romanus : "Eccum, praesto sum ;
meus iste sanguis verus est, non bubulus.
Agnoscis illum, quem loquor, miserrime
pagane, vestri sanguinem sacrum bovis,
cujus litata caede permadescitis ?
Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
acta in profundum consecrandus mergitur,
mire infulatus festa vittis tempora
nectens, corona tum repexus aurea,
cinctu Gabino sericam fultus togam.
Tabulis superne strata texunt pulpita
rimosa rari pegmatis conpagibus,
scindunt subinde vel terebrant aream
crebroque lignum perforant acumine,
pateat minutis ut frequens hiatibus.
Huc taurus ingens fronte torva et hispida
sertis revinctus aut per armos floreis
aut impeditis cornibus deducitur,
nec non et auro frons coruscat hostiae
saetasque fulgor brattealis inficit.
Hic ut statuta est inmolanda belua,
pectus sacrato dividunt venabulo ;
eructat amplum vulnus undam sanguinis
ferventis inque texta pontis subditi
fundit vaporum flumen et late aestuat.
Tum per frequentes mille rimarum vias
inlapsus imber tabidum rorem pluit,
defossus intus quem sacerdos excipit,
guttas ad omnes turpe subjectans caput,
et veste et omni putrefactus corpore.
Quin os supinat, obvias offert genas,
supponit aures, labra, nares obicit,
oculos et ipsos perluit liquoribus,
nec jam palato parcit et linguam rigat,
donec cruorem totus atrum conbibat.
Postquam cadaver sanguine egesto rigens
compage ab illa flamines retraxerint,
procedit inde pontifex visu horridus,
ostentat udum verticem, barbam gravem,
vittas madentes atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis,
tabo recentis sordidam piaculi,
omnes salutant atque adorant eminus,
vilis quod illum sanguis et bos mortuus
foedis latentem sub cavernis laverint.
Addamus illam, vis, hecatomben tuam,
centena ferro cum cadunt animalia
variaque abundans caede restagnat cruor,
vix ut cruentis augures natatibus
possint meare per profundum sanguinis ?
Sed quid macellum pingue pulvinarium,
quid maximorum lancinatores gregum
eviscerata carne crudos criminor ?
Sunt sacra, quando vosmet ipsi exciditis,
votivus et cum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
sectisque Matrem bracchiis placat deam ;

furere ac rotari jus putatur mysticum ;
parca ad secandum dextra fertur inpia,
caelum meretur vulnerum crudelitas.
Ast hic metenda dedicat genitalia,
numen reciso mitigans ab inguine ;
offert pudendum semivir donum deae,
illam revulsa masculini germinis
vena effluenti pascit auctam sanguine.
Uterque sexus sanctitati displicet,
medium retentat inter alternum genus :
mas esse cessat ille nec fit femina.
Felix deorum mater inberbes sibi
parat ministros lenibus novaculis.
Quid, cum sacrandus accipit sphragitidas ?
Acus minutas ingerunt fornacibus ;
his membra pergunt urere, ut igniverint ;
quamcumque partem corporis fervens nota
stigmarit, hanc sic consecratam praedicant.
Functum deinde cum reliquit spiritus
et ad sepulcrum pompa fertur funeris,
partes per ipsas inprimuntur bratteae,
insignis auri lammina obducit cutem,
tegitur metallo, quod perustum est ignibus.
Has ferre poenas cogitur gentilitas,
hac dii coercent lege cultores suos :
sic Daemon ipse ludit hos quos ceperit ;
docet execrandas ferre contumelias,
tormenta inuri mandat infelicibus.
At noster iste sanguis ex vestra fluit
crudelitate, vos tyrannide inpia
exulceratis innocentum corpora.
Si vos sinatis, incruente vivimus,
at si cruente puniamur, vincimus.
Sed jam silebo, finis instat debitus,
finis malorum, passionis gloria ;
jam non licebit, inprobe, ut licuit modo,
torquere nostra vel secare viscera,
cedas necesse est victus et jam desinas."
"Cessabit equidem tortor et sector dehinc",
judex minatur, "sed peremptoris manus
succedet illis, strangulatrix faucium,
aliter silere nescit oris garruli
vox inquieta, quam tubam si fregero."
Dixit foroque protrahi jussit virum,
trudi in tenebras noxialis carceris,
elidit illic fune collum martyris
lictor nefandus. Sic peracta est passio,
anima absoluta vinculis caelum petit.
Gesta intimasse cuncta fertur principi
praefectus, addens ordinem voluminum,
seriemque tantae digerens tragoediae ;
laetatus omne crimen in fasces refert
suum tyrannus chartulis vivacibus.
Illas sed aetas conficit diutina,
fuligo fuscat, pulvis obducit situ,
carpit senectus aut ruinis obruit ;
inscripta Christo pagina inmortalis est
nec obsolescit ullus in caelis apex.

1121 Excepit adstans angelus coram Deo
1122 et quae locutus martyr et quae pertulit,
1123 nec verba solum disserentis condidit,
1124 sed ipsa pingens vulnera expressit stilo
1125 laterum, genarum pectorisque et faucium.
1126 Omnis notata est sanguinis dimensio,
1127 ut quamque plagam sulcus exaraverit,
1128 altam, patentem, proximam, longam, brevem,
1129 quae vis doloris quive segmenti modus,
1130 guttam cruoris ille nullam perdidit.
1131 Hic in regestis est liber caelestibus,
1132 monumenta servans laudis indelebilis,
1133 relegendus olim sempiterno judici,
1134 libramine aequo qui malorum pondera
1135 et praemiorum conparabit copias.
1136 Vellem sinister inter haedorum greges,
1137 ut sum futurus, eminus dinoscerer,
1138 atque hoc precante diceret Rex optimus :
1139 "Romanus orat, transfer hunc haedum mihi,
1140 sit dexter agnus, induatur vellere."

AD VALERIANUM EPISCOPUM DE PASSIONE HIPPOLYTI BEATISSIMI MARTYRIS

P11 v.1 Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
2 vidimus, o Christi Valeriane sacer.
3 Incisos tumulis titulos et singula quaeris
4 nomina : difficile est, ut replicare queam,
5 Tantos justorum populos furor inpius hausit,
6 cum coleret patrios Troia Roma deos.
7 Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
8 martyris aut nomen aut epigramma aliquod ;
9 sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas
10 marmora, quae solum significant numerum.
11 Quanta virum jaceant congestis corpora acervis,
12 nosse licet, quorum nomina nulla legas.
13 Sexaginta illic defossas mole sub una
14 reliquias memini me didicisse hominum,
15 quorum solus habet conperta vocabula Christus,
16 utpote quos propriae junxit amicitiae.
17 Haec dum lustro oculis et sicubi forte latentes
18 rerum apices veterum per monumenta sequor,
19 invenio Hippolytum, qui quondam scisma Novati
20 presbiter attigerat nostra sequenda negans,
21 usque ad martyrii provectum insigne tulisse
22 lucida sanguinei praemia supplicii.
23 Nec mirere senem perversi dogmatis olim
24 munere ditatum catholicae fidei.
25 Cum jam vaesano victor raperetur ab hoste
26 exultante anima carnis ad exitium,
27 plebis amore suae multis comitantibus ibat ;
28 consultus quaenam secta foret melior,
29 respondit : "Fugite, o miseri, execranda Novati
30 scismata, catholicis reddite vos populis !
31 Una fides vigeat, prisco quae condita templo est,
32 quam Paulus retinet quamque cathedra Petri.
33 Quae docui, docuisse piget : venerabile martyr

cerno, quod a cultu rebar abesse dei."
His ubi detorsit laevo de tramite plebem
monstravitque sequi, qua via dextra vocat,
seque ducem recti spretis anfractibus idem
praebuit, erroris qui prius auctor erat,
sistitur insano rectori christicolas tunc
ostia vexanti per Tiberina viros.
Illo namque die Roma secesserat, ipsos
peste suburbanos ut quateret populos,
non contentus humum celsae intra moenia Romae
tinguere justorum caedibus assiduis.
Janiculum cum jam madidum, fora, rostra, Suburam
cerneret eluvie sanguinis affluere,
protulerat rabiem Tyrreni ad litoris oram
quaeque loca aequoreus proxima portus habet.
Inter carnifices et constipata sedebat
officia extructo celsior in solio,
discipulos fidei detestandique rebelles
idolii ardebat dedere perfidiae.
Carcereo crinita situ stare agmina contra
jusserat horrendis excrucianda modis.
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
stridere, virgarum concrepitare fragor,
ungula fixa cavis costarum cratibus altos
pandere secessus et lacerare jecur.
Ac jam lassatis judex tortoribus ibat
in furias cassa cognitione fremens
(nullus enim Christi ex famulis per tanta repertus
supplicia, auderet qui vitiare animam).
Inde furens quaesitor ait : "Jam, tortor, ab unco
desine, si vana est quaestio, morte agito.
Huic abscide caput, crux istum tollat in auras
viventesque oculos offerat alitibus ;
hos rape praecipites et vinctos conice in ignem ;
sit pyra, quae multos devoret una reos.
En tibi, quos properes rimosae inponere cumbae,
pellere et in medii stagna profunda freti.
Quos ubi susceptos rabidum male suta per aequor
vexerit et tumidis caesa labarit aquis,
dissociata putrem laxent tabulata carinam,
conceptumque bibant undique naufragium.
Squamea caenoso praestabit ventre sepulcrum
belua consumptis cruda cadaveribus."
Haec persultanti celsum subito ante tribunal
offertur senior nexibus inplicitus.
Stipati circum juvenes clamore ferebant
ipsum christicolis esse caput populis :
si foret extinctum propere caput, omnia vulgi
pectora Romanis sponte sacranda deis.
Insolitum leti poscunt genus et nova poenae
inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille supinata residens cervice : "Quis", inquit,
"dicitur ? " adfirmant dicier Hippolytum.
"Ergo sit Hippolytus, quatiat turbetque jugales
intereatque feris dilaceratus equis."
Vix haec ille, duo cogunt animalia freni
ignara insueto subdere colla jugo,
non stabulis blandive manu palpata magistri

imperiumque equitis ante subacta pati,
sed campestre vago nuper pecus e grege captum,
quod pavor indomito corde ferinus agit.
Jamque reluctantes sociarant vincula bigas
oraque discordi foedere nexuerant ;
temonis vice funis inest, qui terga duorum
dividit et medius tangit utrumque latus,
deque jugo in longum se post vestigia retro
protendens trahitur transit et ima pedum.
Hujus ad extremum, sequitur qua pulvere summo
cornipedum refugas orbita trita vias,
crura viri innectit laqueus nodoque tenaci
adstringit plantas cumque rudente ligat.
Postquam conposito satis instruxere paratu
martyris ad poenam verbera, vincla, feras,
instigant subitis clamoribus atque flagellis,
iliaque infestis perfodiunt stimulis.
Ultima vox audita senis venerabilis haec est :
"Hi rapiant artus ; tu rape, Christe, animam ! "
Prorumpunt alacres caecoque errore feruntur,
qua sonus atque tremor, qua furor exagitant.
Incendit feritas, rapit impetus et fragor urget,
nec cursus volucer mobile sentit onus.
Per silvas, per saxa ruunt, non ripa retardat
fluminis aut torrens oppositus cohibet ;
prosternunt saepes et cuncta obstacula rumpunt,
prona, fragosa petunt, ardua transiliunt.
Scissa minutatim labefacto corpore frusta
carpit spinigeris stirpibus hyrtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus haeret,
parte rubent frondes, parte madescit humus.
Exemplar sceleris paries habet inlitus, in quo
multicolor fucus digerit omne nefas ;
picta super tumulum species liquidis viget umbris,
effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes saxorum apices vidi, optime papa,
purpureasque notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos
luserat et minio russeolam saniem.
Cernere erat ruptis conpagibus ordine nullo
membra per incertos sparsa jacere situs.
Addiderat caros gressu lacrimisque sequentes,
devia quo fractum semita monstrat iter.
Maerore attoniti atque oculis rimantibus ibant
inplebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum conplectitur ac reverendam
canitiem molli confovet in gremio ;
hic umeros truncasque manus et bracchia et ulnas
et genua et crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulae siccantur harenae,
ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis et in sudibus recalenti aspergine sanguis
insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec jam densa sacro quidquam de corpore silva
obtinet aut plenis fraudat ab exequiis.
Cumque recensetis constaret partibus ille,
corporis integri qui fuerat numerus,
nec purgata aliquid deberent avia toto

ex homine extersis frondibus et scopulis,
metando eligitur tumulo locus ; Ostia linquunt,
Roma placet, sanctos quae teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomeria vallo
mersa latebrosis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu
inlustratque dies limina vestibuli.
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
nox obscura loci per specus ambiguum,
occurrunt celsis immissa foramina tectis,
quae jaciant claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
arta sub umbrosis atria porticibus,
at tamen excisi subter cava viscera montis
crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
cernere fulgorem luminibusque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
propter ubi adposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa eademque
custos fida sui martyris adposita ;
servat ad aeterni spem vindicis ossa sepulcro,
pascit item sanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas et prompta precantibus ara
spes hominum placida prosperitate juvat.
Hic corruptelis animique et corporis aeger
oravi quotiens stratus, opem merui.
Quod laetor reditu, quod re, venerande sacerdos,
conplecti licitum est, scribo quod haec eadem,
Hippolyto scio me debere, Deus cui Christus
posse dedit, quod quis postulet, adnuere.
Ipsa, illas animae exuvias quae continet intus,
aedicula argento fulgurat ex solido.
Praefixit tabulas dives manus aequore levi
candentes, recavum quale nitet speculum ;
nec Pariis contenta aditus obducere saxis
addidit ornando clara talenta operi.
Mane salutatum concurritur : omnis adorat
pubis, eunt, redeunt solis adusque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul ac peregrinos
permixtim populos religionis amor.
Oscula perspicuo figunt inpressa metallo,
balsama defundunt, fletibus ora rigant.
Jam cum se renovat decursis mensibus annus
natalemque diem passio festa refert,
quanta putas studiis certantibus agmina cogi
quaeve celebrando vota coire Deo !
Urbs augusta suos vomit effunditque Quirites,
una et patricios ambitione pari
Confundit plebeia phalanx umbonibus aequis
discrimen procerum praecipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
explicat et longis ducitur ordinibus ;
exultant fremitus variarum hinc inde viarum,
indigena et Picens plebs et Etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox, habitator et altae

Campanus Capuae, jamque Nolanus adest ;
quisque sua laetus cum conjuge dulcibus et cum
pigneribus rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
haeret et in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse catervis
haud dubium est, ampla fauce licet pateat.
Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia templum
tunc adeat cultu nobile regifico,
parietibus celsum sublimibus atque superba
majestate potens muneribusque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
sustinet auratis suppositus trabibus.
Adduntur graciles tecto breviore recessus,
qui laterum seriem jugiter exsinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
culminis exsurgens editiore apice.
Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
tollitur, antistes praedicat unde Deum.
Plena laborantes aegre domus accipit undas
artaque confertis aestuat in foribus
maternum pandens gremium, quo condat alumnos
ac foveat, fetos adcumulata sinus.
Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat
prisco more diem, quem te quoque, sancte magister,
annua festa inter dinumerare velim.
Crede, salutigeros feret hic venerantibus ortus,
lucis honoratae praemia restituens.
Inter sollemnes Cypriani vel Chelidoni
Eulaliaeque dies currat et iste tibi.
Sic te pro populo, cujus tibi credita vita est,
orantem Christus audiat omnipotens ;
sic tibi de pleno lupus excludatur ovili,
agna nec ulla tuum capta gregem minuat ;
sic me gramineo remanentem denique campo
sedulus aegrotam pastor ovem referas ;
sic, cum lacteolis caulas conpleveris agnis,
raptus et ipse sacro sis comes Hippolyto.

PASSIO APOSTOLORUM PETRI ET PAULI

P12 v.1 "Plus solito coeunt ad gaudia ; dic, amice, quid sit !
Romam per omnem cursitant ovantque."
"Festus apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.
Unus utrumque dies, pieno tamen innovatus anno,
vidit superba morte laureatum.
Scit Tiberina palus, quae flumine lambitur propinquo,
binis dicatum caespitem tropaeis,
et crucis et gladii testis, quibus inrigans easdem
bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis,
pendere jussum praeminente ligno.
Ille tamen veritus celsae decus aemulando mortis
ambire tanti gloriam magistri,

exigit, ut pedibus mersum caput inprimant supinis,
quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen,
hoc mente major, quo minor figura.
Noverat ex humili caelum citius solere adiri,
dejecit ora spiritum daturus.
Ut teres orbis iter flexi rota percucurrit anni
diemque eundem sol reduxit ortus,
evomit in jugulum Pauli Nero fervidum furorem,
jubet feriri gentium magistrum.
Ipse prius sibimet finem cito dixerat futurum :
"Ad Christum eundum est, jam resolvor", inquit.
Nec mora, protrahitur, poenae datur, inmolatur ense ;
non hora vatem, non dies fefellit.
Dividit ossa duum Tybris sacer ex utraque ripa,
inter sacrata dum fluit sepulcra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum
canens oliva, murmurans fluento ;
namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
fontem perennem chrismatis feracem ;
nunc pretiosa ruit per marmora lubricatque clivum,
donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura superne tinguit undas ;
musci relucent et virescit aurum,
cyaneusque latex umbram trahit inminentis ostri :
credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic gelidi rigore fontis,
videt sitire quas fluenta Christi.
Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis,
qua stringit amnis caespitem sinistrum.
Regia pompa loci est, princeps bonus has sacravit arces
lusitque magnis ambitum talentis.
Bratteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit et Parias fulvis laquearibus columnas,
distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camiros hyalo insigni varie cucurrit arcus :
sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei summo patre conferente dotes,
urbi colendas quas dedit togatae.
Aspice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
lux in duobus fervet una festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
et his et illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius, qua fert via pontis Hadriani,
laevam deinde fluminis petemus.
Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos ;
mox huc recurrit duplicatque vota.
Haec didicisse sat est Romae tibi : tu domum reversus
diem bifestum sic colas memento."

PASSIO CYPRIANI

P13 v.1 Punica terra tulit, quo splendeat omne, quidquid usquam est,

inde domo Cyprianum, sed decus orbis et magistrum.
Est proprius patriae martyr, sed amore et ore noster ;
incubat in Libya sanguis, sed ubique lingua pollet,
sola superstes agit de corpore, sola obire nescit,
dum genus esse hominum Christus sinet et vigere mundum.
Dum liber ullus erit, dum scrinia sacra litterarum,
te leget omnis amans Christum, tua, Cypriane, discet.
Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in prophetas,
fontibus eloquii te caelitus actus inrigavit.
O nive candidius linguae genus, o novum saporem !
Ut liquor ambrosius cor mitigat, inbuit palatum,
sedem animae penetrat, mentem fovet et pererrat artus,
sic Deus interius sentitur et inditur medullis.
Unde bonum subitum terris dederis, Pater, revela !
Derat apostolicis scriptis opulentus executor ;
eligitur locuples facundia, quae doceret orbem
quaeque voluminibus Pauli famulata disputaret,
quo mage cruda hominum praecordia perpolita nossent
sive timoris opus seu mystica vel profunda Christi.
Unus erat juvenum doctissimus artibus sinistris :
fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare,
saepe etiam magicum cantamen inire per sepulcra,
quo geniale tori jus solveret aestuante nupta.
Luxuriae rabiem tantae cohibet repente Christus,
discutit et tenebras de pectore, pellit et furorem,
inplet amore sui, dat credere, dat pudere facti.
Jamque figura alia est, quam quae fuit, oris et nitoris :
exuitur tenui vultus cute, transit in severam,
deflua caesaries conpescitur ad breves capillos ;
ipse modesta loqui, spem quaerere, regulam tenere,
vivere justitia Christi, penetrare dogma nostrum.
His igitur meritis dignissimus usque episcopale
provehitur solium doctor, capit et sedile summum.
Valerianus opum princeps erat atque Gallienus :
constituere simul poenam capitis Deum fatenti.
Milia terrigenum spurcissima jusserant sacrari ;
contra animos populi doctor Cyprianus incitabat,
ne quis ab egregiae virtutis honore discreparet
neu fidei pretium quis sumere degener timeret.
"Esse levem cruciatum, si modo conferas futura,
quae Deus ipse viris intermina fortibus spopondit,
merce doloris emi spem luminis et diem perennem ;
omne malum volucri cum tempore transvolare cursim ;
nil grave, quod peragi finis facit et quiete donat.
Se fore principium pulchrae necis et ducem cruoris
seque caput gladio submittere, sanguinem dicare ;
qui sociare animam Christo velit, ut comes sequatur."
His ubi corda virum Christo calefacta praeparavit,
ducitur ante alios proconsule perfurente vinctus.
Antra latent Tyriae Carthaginis abditis reposta,
conscia tartareae caliginis, abdicata soli.
Clausus in his specubus sanctus Cyprianus et catena
nexus utramque manum nomen patris invocat supremi :
"Omnipotens genitor Christi Deus et creator orbis,
Christe, parens hominis, quem diligis et vetas perire !
Ille ego, vipereis quem tu bonus oblitum venenis,
criminibus variis tinctum miseratus abluisti ;
jamque tuum fieri mandas, fio Cyprianus alter

et novus ex veteri nec jam reus aut nocens, ut ante.
Si luteum facili charismate pectus expiasti,
vise libens tenebris ergastula caeca dissipatis,
eripe corporeo de carcere vinculisque mundi
hanc animam, liceat fuso tibi sanguine inmolari ;
ne qua ferum reprimat clementia judicem, tyranni
neu sciat invidia mitescere, gloriam negare.
Da quoque, ne quis iners sit de grege, quem tuum regebam,
ne cadat inpatiens poenae titubetve quis tuorum,
incolumem ut numerum reddam tibi debitumque solvam."
Vocibus his Dominum permoverat, influebat inde
spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris
ingenii, stimulis ut pectora subditis calerent
ad decus egregium discrimine sanguinis petendum,
non trepidare docens nec cedere nec dolore vinci,
laudis amore rapi, Christum sapere et fidem tueri.
Fama refert foveam campi in medio patere jussam,
calce vaporifera summos prope margines refertam ;
saxa recocta vomunt ignem niveusque pulvis ardet,
urere tacta potens et mortifer ex odore flatus.
Adpositam memorant aram fovea stetisse summa
lege sub hac : salis aut micam jecur aut suis litarent
christicolae, aut mediae sponte inruerent in ima fossae.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti,
gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit
praecipitemque globum fundo tenus inplicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes ;
"candida massa" dehinc dici meruit per omne saeclum.
Laetior interea jam Thascius ob diem suorum
sistitur indomiti proconsulis eminus furori.
Edere jussus erat, quid viveret : "Unicultor", inquit,
"trado salutiferi mysteria consecrata Christi."
Ille sub haec : "Satis est jam criminis, ipse confitetur
Thascius, ipse Jovis fulmen negat, expedite ferrum,
carnifices, gladio poenam luat hostis idolorum."
Ille Deo meritas grates agit et canit triumphans.
Flevit abire virum maesta Africa, quo docente facta est
cultior, eloquio cujus sibi docta gloriatur :
mox tumulum lacrimans struxit cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum, tenet ille regna caeli,
nec minus involitat terris nec ab hoc recedit orbe :
disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Libyae populos tantum regit, exit usque in ortum
solis et usque obitum, Gallos fovet, inbuit Britannos,
praesidet Hesperiae, Christum serit ultimis Hiberis ;
denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis ;
instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

PASSIO AGNETIS

P14 v.1 Agnes sepulcrum est Romulea in domo,
fortis puellae, martyris inclytae.
Conspectu in ipso condita turrium,
servat salutem virgo Quiritium,
nec non et ipsos protegit advenas
puro ac fideli pectore supplices.

Duplex corona est praestita martyri :
intactum ab omni crimine virginal,
mortis deinde gloria liberae.
Aiunt jugali vix habilem toro
primis in annis forte puellulam
Christo calentem fortiter impiis
jussis renisam, quo minus idolis
addicta sacram desereret fidem.
Temptata multis nam prius artibus,
nunc ore blandi judicis inlice,
nunc saevientis carnificis minis
stabat feroci robore pertinax
corpusque duris excruciatibus
ultro offerebat non renuens mori.
Tum trux tyrannus : "Si facile est", ait,
"poenam subactis ferre doloribus
et vita vilis spernitur, at pudor
carus dicatae virginitatis est.
Hanc in lupanar trudere publicum
certum est, ad aram ni caput applicat
ac de Minerva jam veniam rogat,
quam virgo pergit temnere virginem :
omnis juventus inruet et novum
ludibriorum mancipium petet."
"Haud", inquit Agnes, "immemor est ita
Christus suorum, perdat ut aureum
nobis pudorem, nos quoque deserat ;
praesto est pudicis nec patitur sacrae
integritatis munera pollui.
Ferrum inpiabis sanguine, si voles,
non inquinabis membra libidine."
Sic elocutam publicitus jubet
flexu in plateae sistere virginem.
Stantem refugit maesta frequentia,
aversa vultus, ne petulantius
quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit unus forte procaciter
os in puellam nec trepidat sacram
spectare formam lumine lubrico.
En ales ignis fulminis in modum
vibratur ardens atque oculos ferit ;
caecus corusco lumine corruit
atque in plateae pulvere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo
verbisque deflent exequialibus.
Ibat triumphans virgo Deum Patrem
Christumque sacro carmine concinens,
quod sub profani labe periculi
castum lupanar nec violabile
experta victrix virginitas foret.
Sunt, qui rogatam rettulerint preces
fudisse Christo, redderet ut reo
lucem jacenti : tunc juveni halitum
vitae innovatum visibus integris.
Primum sed Agnes hunc habuit gradum
caelestis aulae, mox alius datur
ascensus ; iram nam furor incitat
hostis cruenti : "Vincor", ait gemens,

"i, stringe ferrum, miles, et exere
praecepta summi regia principis ! "
Ut vidit Agnes stare trucem virum
mucrone nudo, laetior haec ait :
"Exulto, talis quod potius venit,
vaesanus, atrox, turbidus, armiger,
quam si veniret languidus ac tener
mollisque ephebus tinctus aromate,
qui me pudoris funere perderet.
Hic, hic amator jam, fateor, placet ;
ibo inruentis gressibus obviam,
nec demorabor vota calentia :
ferrum in papillas omne recepero,
pectusque ad imum vim gladii traham.
Sic nupta Christo transiliam poli
omnes tenebras aethere celsior.
Aeterne rector, divide januas
caeli obseratas terrigenis prius
ac te sequentem, Christe, animam voca,
cum virginalem, tum Patris hostiam ! "
Sic fata Christum vertice cernuo
supplex adorat, vulnus ut imminens
cervix subiret prona paratius.
Ast ille tantam spem peragit manu,
uno sub ictu nam caput amputat ;
sensum doloris mors cita praevenit.
Exutus inde spiritus emicat
liberque in auras exilit ; angeli
saepsere euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm,
spectat tenebras ardua subditas,
ridetque solis quod rota circuit,
quod mundus omnis volvit et inplicat,
rerum quod atro turbine vivitur,
quod vana saecli mobilitas rapit :
reges, tyrannos, imperia et gradus
pompasque honorum stulta tumentium,
argenti et auri vim rabida siti
cunctis petitam per varium nefas,
splendore multo structa habitacula,
inlusa pictae vestis inania,
iram, timorem, vota, pericula,
nunc triste longum, nunc breve gaudium,
livoris atri fumificas faces,
nigrescit unde spes hominum et decus,
et, quod malorum taetrius omnium est,
gentilitatis sordida nubila.
Haec calcat Agnes ac pede proterit,
stans et draconis calce premens caput.
Terrena mundi qui ferus omnia
spargit venenis mergit et inferis,
nunc virginali perdomitus solo
cristas cerebri deprimit ignei
nec victus audet tollere verticem.
Cingit coronis interea Deus
frontem duabus martyris innubae ;
unam decemplex edita sexies
merces perenni lumine conficit,

centenus extat fructus in altera.
O virgo felix, o nova gloria,
caelestis arcis nobilis incola,
intende nostris conluvionibus
vultum gemello cum diademate,
cui posse soli Cunctiparens dedit
castum vel ipsum reddere fornicem !
Purgabor oris propitiabilis
fulgore, nostrum si jecur inpleas.
Nil non pudicum est, quod pia visere
dignaris, almo vel pede tangere.